



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Commentariorvm, Ac Dispvationvm, In Tertiam Partem Divi Thomae. Tomi Qvinqve**

Qui Est Primvs De Sacramentis: In Qvo Ea Continentvr, Qvæ Post  
Præfationem Indicantvr

**Suárez, Francisco**

**[Köln], 1619**

2 Vtrum totus Christus sit sub vtraq[ue] specie.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93807](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93807)

det, & sic non procedunt instantiæ adductæ, vt per se constat, quia Verbum non habet modum vnionis ad humanitatem, quo priuari possit, sed tota vnio est ex parte humanitatis: & ideo vbicumq; est humanitas, ibi est Verbum, quia ibi est vnio, non tamen, vbicumq; est Verbum, ibi est humanitas, quia non necessario ibi est vnio, anima vero, licet habeat vnionem ad corpus & ad singulas partes eius, tamen, quia illa vnio, respectu singularum partium non est totalis, ideo, non vbicumq; est anima, ibi est vnio ad singulas partes. Vnde fit, vt possit esse anima alicubi sine vnione ad hanc vel illam partem corporis, & consequenter quod alicubi sit anima, vbi non sit caput, vel pes, &c. Tandem hinc facile intelligitur sensus posterioris propositionis D. Thomæ: non enim est sensus, quæ realiter coniunguntur, sola ratione distingui, hoc enim tam aperte falsum est, vt non potuerit in Diui Thomæ mentem cadere: sed est sensus, quæ realiter coniuncta sunt, sola operatione animæ separari, præfandi, aut cogitari vnum eorum alicubi, ac si ibi aliud non existeret.

De solutione ad primum fati dictum est: quid verosimilitudine in hoc sacramento ex vi verborum: quid autem per concomitantiam, quod in illa, & in solutione ad 2. tangitur, in sequente disputatione tractandum est: quod vero tangitur in solutione ad 3. de modo existendi Christi in hoc sacramento per modum substantiæ, partim in superioribus est dictum, partim dicitur in disputatione 52.

ARTICVLVS II.

Vtrum totus Christus contineatur sub vtraq; specie huius sacramenti.

**A**d secundum sic proceditur. Videtur, quod non sub vtraq; specie huius sacramenti totus Christus contineatur. Hoc enim sacramentum ad salutem fidelium ordinatur, non virtute specierum, sed virtute eius, quod sub speciebus continetur, & quia species etiam erant ante consecrationem, ex qua est virtus huius sacramenti. Si ergo nihil continetur sub vna specie, quod non contineatur sub alia. Sed totus Christus continetur sub vtraq; videtur quod altera illa: non superflua in hoc sacramento.

2. Præterea dictum est, quod sub nomine carnis omnes alie partes corporis continentur, sicut ossa, nervi, & alia huiusmodi. Sed sanguis est vna partium humani corporis: sicut patet per Aristotelem in lib. de generat. animal. Si ergo sanguis Christi continetur sub specie panis, sicut continentur ibi alie partes corporis, non deberet seorsum sanguis consecrari, sicut nec seorsum consecratur aliqua alia pars corporis.

3. Præterea. Quod iam factum est, iterum fieri non potest. Sed corpus Christi iam incepit in hoc sacramento per consecrationem panis. Ergo non potest esse, quod de nouo incipiat esse per consecrationem vini. Et ita sub specie vini non continetur corpus Christi, & per consequens, nec totus Christus. Non ergo sub vtraq; specie totus Christus continetur.

Sed contra est, quod 1. Cor. 11. Super illud, Et calicem, dicitur: quod sub vtraq; specie, scilicet panis & vini, idem sumitur. Et ita videtur sub vtraq; specie totus Christus esse.

Respondet dicendum, certissime tenendum esse quod sub vtraq; specie sacramenti totus est Christus, aliter tamen & aliter. Nam sub speciebus panis, est quidem corpus Christi ex vi sacramenti, sanguis autem ex reali concomitantia, sicut supra dictum est de anima & de diuinitate Christi. Sub speciebus vero vini, est quidem sanguis Christi ex vi sacramenti, corpus autem Christi ex reali concomitantia, sicut anima & diuinitas, eo quod nunc sanguis Christi non est ab eius corpore separatus, sicut fuit tempore passionis, & mortis. Vnde si tunc fuisset hoc sacramentum celebratum sub speciebus panis, fuisset corpus Christi sine sanguine, & sub speciebus vini sanguis sine corpore, sicut erat in rei veritate.

**A**d primum ergo dicendum, quod quamuis totus Christus sit sub vtraq; specie, non tamen frustra. Nam primo quidem hoc valet ad representandam passionem Christi, in qua seorsum fuit sanguis a corpore separatus. Vnde & in forma consecrationis sanguinis, fit mentio de eius effusione. Secundo, hoc est conueniens vsui huius sacramenti, vt seorsum exhibeatur fidelibus corpus Christi in cibum, & sanguis in potum. Tertio, quantum ad effectum, secundum quod supra dictum est, quod corpus exhibetur pro salute corporis, & sanguis pro salute anime.

**A**d secundum dicendum, quod in passione Christi (cuius hoc sacramentum est memoriale) non fuerunt alie partes corporis ab invicem separate, sicut sanguis, sed corpus indissoluitum permansit secundum quod legitur Exod. 12. Nec os illius confringetur. Et ideo in hoc sacramento seorsum consecratur sanguis a corpore, non autem aliqua alia pars ab alia.

**A**d tertium dicendum, quod sicut dictum est, corpus Christi non est sub specie vini ex vi sacramenti, sed ex reali concomitantia. Et ideo per consecrationem vini, non fit ibi corpus Christi per se, sed concomitans.

Quæst. 74. art. 1.

COMMENTARIVS.

**I**uxta dicta in præcedente articulo hic titulus intelligendus est de vtraq; specie, non collectivæ, sed distributiue, ita vt resolutio sit, totum Christum esse sub singulis speciebus panis, & vini: & ita est facilis tota doctrina corporis articuli, quæ fundatur in eodem principio posito in præcedente articulo: vnde nihil circa hanc litteram occurrit notandum præter ea, quæ de re ipsa disputanda sunt.

Ex argumentis D. Thomæ solum secundum nonnullam habet difficultatem: sic enim colligit, sanguis est pars integralis corporis humani: sed alie partes humani corporis non consecrantur separatim à toto corpore: ergo nec sanguis debet ita consecrari: patet consequentia, quia ita continetur sanguis sub speciebus panis, sicut alie partes. Respondet autem negando consequentiam, eo quod in sanguine specialis ratio intercedat: quoniam sanguis separatus fuit, & a corpore effusus: alie vero partes non fuerunt à corpore Christi separate: ad representandum autem hanc separationem, prout conueniens fuit ad expressiorem passionis Christi significationem, sanguis seorsum à corpore consecratur. Quæ responsio optima est ad satisfaciendum priori parti argumenti, & præcipue intentioni eius: adhuc tamen soluenda superest altera pars difficultatis, quæ in vltima probatione infinuat, scilicet, quod sanguis eodem modo fit sub speciebus panis, quo alie partes, scilicet, ex vi verborum, nam ex vi illorum est totum corpus cum suis partibus constans. Responderi tamen potest negando consequentiam: quia, non est eodem modo pars: alie enim sunt partes in actu, sanguis vero tantum in potentia. Sed non placet mihi hæc responsio: nam, si partes actu dicantur, quæ anima informatur, nihil ad præsens refert: quia ipsameta anima non est hic ex vi verborum: si vero dicantur, quæ actu componunt, & constituunt corpus, etiam sanguis potest dici actu pars. Et confirmatur: nam hæc ratione Verbum diuinum assumendo corpus humanum, assumpsit etiam sanguinem: quia assumpsit totum, & quidquid est de veritate, & integritate eius: aliter ergo responderet D. Thom. hic, quamuis implicite & subobscurè: sicut sanguis seorsum à corpore consecratur, quia ab illo fuit effusus & separatus, ita etiam è contrario corpus ex vi verborum non consecratur, vt constans ex sanguine, sed præcise, vt est quid separabile ab ipso: & vt sic, non includit sanguinem, vt partem sui, est enim sanguis pars non corporis humani vt cunque, sed vini: corpus autem humanum, vt sic & vt consecratur ex vi verborum: præcise, seu abstrahit à mortuo & viuo, & ideo sanguis

sanguis non est sub speciebus panis ex vi verborum : & idem est de alijs humoribus, qui cum sanguine flunt, & miscentur, secus vero de alijs partibus solidis, quae sunt de integritate corporis humani, in quocunque statu existat.

DISPUTATIO LI.

De his, quae sunt sub singulis speciebus Eucharistiae.

Disputatio de Eucharistia



Vm dictum fit, Christum sub speciebus panis & vini realiter contineri, Christumque plura includat, diuinitatem scilicet & humanitatem, quae anima & corpore, eiusque partibus constat, & accidentibus etiam ornata est, videndum superest, an haec omnia sint realiter praesentia in hoc sacramento, & quod titulo, ac ratione. Duplex enim distingui solet, scilicet vis verborum, & concomitantia rerum, ita vt duobus modis possit aliquid esse praesens in hoc sacramento, scilicet aut ex vi verborum, aut per concomitantiam. Dicemus ergo primum absolute, quid hic fit praesens, deinde quid ex vi verborum, ac tandem quid per concomitantiam.

SECTIO I.

Vtrum tota Christi substantia sit sub singulis speciebus Eucharistiae.

Soleo hoc loco adduci error Nestorij, negantis hunc Christum a Deo personaliter separaret, consequenter cessare debuit in hoc sacramento nullo modo esse veram diuinitatem: circa humanitatem vero nihil inuenio in hoc specialiter errasse, carnem a sanguine, aut corpus ab anima in hoc sacramento separando. Fuerunt vero alij haeretici, dicti Intinctores, put refert VValdenf. to. 2. c. 87. qui panis species tinctas speciebus vini ad complementum communionis dabant, vnde existimasse creduntur, sanguinem non esse sub speciebus panis, illa vero consuetudo damnata est a Iulio in c. Cum omne crimen. de consecr. d. 2. Hinc etiam Alan. lib. 1. de Euchar. c. 41. hunc errorem tribuit haereticis existimantibus necessariam esse communionem sub vtraque specie: videntur enim in hunc errorem incidere, quia non credunt, sub singulis speciebus esse totum Christum. Sed haec collectio incerta est, nam ex alijs causis moueri potuerunt. Denique Lutherum fuisse huius erroris magistrum, refert Eccius hom. 32. de sacram. eumque aliquos Lutheranos nunc sequi refert Bellar. lib. 4. de Eucharist. c. 21. Caluinum etiam & alios, qui negant realem Christi praesentiam, eodem modo loqui necesse est, quia si Christus hic tantum est vt in signo, id tantum erit sub singulis speciebus, quod per illas significatur.

Tota Christi substantia est sub singulis speciebus Eucharistiae. Probatio ex Patribus.

Dicendum vero est, totum Christum, totamque substantiam eius esse in hoc sacramento, & sub singulis speciebus eius. Est de fide, & primo colligi potest ex verbis Christi. Io. 6. Ego sum panis viuus, &c. & inf. Qui manducat me, viuet propter me, ergo sub speciebus panis totus Christus continetur, & manducatur, & eodem modo loquuntur Sancti Patres, agentes de hoc sacramento, prout manducatur in pane, vel prout permanet in altari, absque speciebus vini: sic loquitur Aug. ser. 2. de verbis Apostoli, vbi ait, eundem Christum, qui in caelo sedet, esse in altari: & Ambros. lib. de Myster. cap. 9. In illo sacramento Christus est, quia corpus est Christi, & lib. 5. de sacram. c. 3. Venisti ad altare, accepisti corpus Christi: audi dicentem sanctum David: & ille in spiritu haec mysteria praevi- debat, & letabatur, & nihil sibi abesse dicebat. Similiaque sumi possunt ex Dionys. c. 3. de Eccles. Hierar. & Nazian. orat. de sancta Gorgonia, & Cyril. Hierosol.

August. Ambros.

Dionys.

Cateches. 4. vbi hac de causa dicit, Christianos manducando corpus Christi fieri Christiferos. Hoc etiam confirmant illa verba, quibus ex vlt. Ecclesiae vtuntur fideles ante communionem: Domine non sum dignus, &c. vt obseruauit etiam Origen. homil. 6. in diuersos. Dices, etiam Christus dicitur iactasse in sepulchro, quamuis ibi non esset sanguis, neque anima. Respondetur, non esse locutiones nude & abstracte considerandas, sed iuxta intentionem loquentium, & omnibus circumstantijs pensatis: sic autem constat, Christum locutum fuisse de se ipso viuente, & perfecto Deo ac homine, cum dixit. Qui manducat me, &c. vnde ibid. ait, Panis Dei est, qui de caelo descendit, & dat vitam mundo: & iterum, Ego sum panis viuus, qui de caelo descendi. Dici enim potest panis viuus, quia in eo datur caro eius non mortua, sed viuua: & de caelo descendisse dicitur, propter diuinum suppositum. Atque idem est sensus Sanctorum Patrum: dicunt enim, CHRISTVM ita esse hic, sicut in caelo, itaque illum sub speciebus panis existentem alloquantur, & ad eum orationes fundunt, ac in propria specie videretur. Accedit, quod ex illa locutione, etiam in sensu minus proprie sumpto, saltem concluditur, diuinum CHRISTI suppositum esse sub speciebus panis simul cum corpore: quod ex eo est, quod in propria specie ei vnitur, numquamque ab eo separatur: pari ergo ratione concludere, non esse hic corpus sine anima & sanguine, aut e conuerso, propter realem coniunctionem, quam in re ipsa habent. Vnde hic optime accommodari potest illud primae Iohannis quarto. Omnis spiritus qui soluit IESVM, ex DEO non est: soluit enim quicumque aliquid separatur, aut humanitatem a diuinitate, aut corpus a sanguine. Secundo principaliter probatur, conclusio ex definitione & traditione Ecclesiae, nam in Concil. Constantin. sels. 13. & Basil. sels. 30. dicitur veritas haec firmissime & sine dubitatione tenenda, quae traditur etiam in Florent. in decreto Eugenij, & definitur in Tridentin. sels. 13. cap. 3. & canone 1. & 3. & sels. 21. c. & habetur et in c. Qui manducat c. singuli c. vbi pars. c. 3. Inuitat, & alijs, de Consecrat. d. 1. eamque explicuit Aug. in homil. quam refert Beda 1. ad Cor. 10. & Eusebius Emisenus homilia 5. de Paschate, & alios infra referemus, qui non solum sub singulis speciebus, sed etiam sub singularum partibus dicunt Christum totum contineri. Tractado etiam de communionem sub vna specie, afferemus alios dicentes: ideo vnam speciem sufficere laicis, quia sub ea totus Christus continetur. Tertio probatur ratione Diuiti Thomae, quae iam satis explicata est: nullo enim modo decuit, gloriosum & diuinum Christi corpus alicubi esse exanime, aut sine vnione ad Verbum: praesertim cum in hoc sacramento sit ad homines spiritualiter viuificandos: quam vim habet caro illa ex vnione ad Verbum, vt Concil. Ephes. dixit. Adde denique non esse consentaneum naturis rerum, vt corpus alicubi vitium, alibi sit ab anima separatum, neque quod corpus animatum sit exanguie. Sunt ergo sub qualibet specie essentialis partes humanitatis Christi, sunt etiam inter se vnita, quia ad hoc etiam necessarium est, vt fit ibi totus Christus: sunt praeterea partes omnes substantialiter integrantes corpus Christi eo modo coniunctae, qui ad perficiendum corpus humanum necessarius est: quia corpus Christi non est mutilum, nec monstruosum, sed pulchrum & ornatum, & ideo capillos etiam habet, & barbam, quia haec etiam pertinent ad integritatem, & intersecum ornamentum humani corporis: sunt denique cum sanguine reliqui humores, quia omnes sunt de veritate corporis humani, ideoque in glorioso corpore existunt. De aere vero, qui intra corpus humanum, etiam gloriosum includitur, & aliquas partes porosas, vel concauas replet, vt locutioni deserviat, dubitari potest, an sit etiam in hoc sacramento, cum per se non pertineat ad corporis compositionem, & alio-

alioqui hic non sit necessarius, vel ad replendum ali-  
quod vacuum, vel ad loquendum: quia Christi cor-  
pus, prout est hic, nec loqui potest, nec per spatium  
quantitative extenditur. Nihilominus contrarium  
videatur probabilius, & in vniuersum omnem sub-  
stantiam: quæ est intra corp<sup>9</sup> Christi gloriosum, præ-  
sentem, fieri in hoc sacramento, quia aliquo modo est  
de necessitate & perfectione humani corporis: Chri-  
sti autem corpus hic est omni ex parte perfectum &  
sufficiens ad omnes actiones, quamuis ratione modi  
existendi illas non exequatur. Secus vero dicendum est  
de aliis rebus mere extrinsecæ & accidentaliter adiu-  
ctis quales fuerunt in nocte caræ vestes, quæ nullo  
modo componunt humanum corpus, sed adiacent ex-  
trinsecus: item salua, cibus indigestus, & excremen-  
ta, quæ tunc fortasse erant in corpore Christi omni-  
no per accidens: nam ad compositionem, & perfectio-  
nem corporis Christi non pertinebant, quod nota-  
runt Soto in 4. d. 10. q. 1. art. 2. Ledesm. q. 17. art. 2.

SECTIO II.

Primum in Eucharistia sit quantitas corporis Christi cum reli-  
quis accidentibus.

In præcedente sectione diximus de tota substantia,  
& omnibus partibus eius: hic dicendum est de om-  
nibus accidentibus, quam rem arrigit D. Thomas,  
infra art. 4. sed eam anteposimus, vt institutum ordi-  
nem obseruemus, & plures quaestiones inter se fe-  
re connexas facilius expediemus. Punctus autem  
controversiæ versatur circa quantitatem, & alia ac-  
cidentia, quæ ratione illius, vel per ipsam, substantiæ  
corporeæ insunt: nam de accidentibus spiritualibus  
nulla est difficultas, quin sint in hoc sacramento: quia  
nec locum occupant, neque ab illo pendent, neque  
ab extrinsecæ agente, sed ipsa Christi anima, ad cuius  
perfectionem pertinent ac proinde illam comitan-  
tur, vbicumque existit. De quantitate vero est prima  
opinio, negans esse præsentem in Eucharistia quan-  
tita-tem corporis Christi, sed solam ac nudam sub-  
stantiam materiæ animæ informatam. Ita docet Du-  
rand. in 4. d. 10. q. 2. & probabile censent Maior. qu. 2.  
Gabr. art. 2. concl. 2. & lec. 43. in Cano. Ocham. in  
4. q. 4. & tract. de Eucha. cap. 29. Est autem magnum  
discrimen inter hos auctores, nam Durand. distinguit  
realiter quantitatem à substantia, & putat in sacra-  
mento poni realitatem substantiæ, sine re & forma  
quantitatis: quia putat primarium effectum formale  
quantitatis esse ipsam extensionem in loco, seu  
quantitativam occupationem, & impenetrabilitatē  
propter quod existimat implicare contradictionem  
substantiam quantitate affectam, vel non occupare  
locum, vel in eodem loco cum alia quantitate pene-  
trari. Vnde vltcrius infert, nullam qualitatem, seu  
proprium accidens absolutum, à materiali substan-  
tia realiter distinctum, illiq; media quantitate inhæ-  
rens esse in hoc sacramento, qualia sunt, color, calor  
& similia. At vero Ocham, & Nominales, non cen-  
sent, quantitatem esse vnā rem à substantia, & aliis  
accidentibus distinctam: sed esse vel ipsam substan-  
tiam, vel modum eius, ita vt substantiam esse quan-  
tam, nihil aliud sit, quam habere nunc extensionem  
localem, ratione cuius corpus habet molem sensibilem,  
& naturaliter impenetrabilem, ex quo princi-  
pio colligunt, substantiam carentem hac extensione  
non esse actu quantam, sed potentia tantum: quia ca-  
ret illo modo actuali, quo fit quanta, & ita consequē-  
ter loquuntur de corpore Christi, quod in sacra-  
mento extensione caret: quamquam interdum dicant, i-  
dentice habere hic rem illam, quæ est quantitas: non  
tamen formaliter quantitatem: cuius rationem in  
illo modo & extensione ponunt, de qualitatibus ve-  
ro aliter sentiunt: quia putant, eas habere proprias  
quantitates distinctas à substantia & quantitate eius:

Franc. Suarez Tom. 3.

vnde dicunt, esse in hoc sacramento sine propriis  
quãtitatibus: sicut enim sunt modo accommodato, vt  
inhære possint substantiæ, tamquam immediato  
subiecto suo. Et hic modus Nominalium, licet in eo,  
quod supponit, magis falsus sit, tamen opinio Du-  
randi, quod ad præsens attinet, multo est periculo-  
sior, grauioremque errorem continet: Nominales enim  
solum dicunt, carere corpus Christi aliquo mo-  
do quem habet in celo: quod in aliquo sensu omnes  
dicunt, vt videbimus: vnde solum in modo loquendi  
videntur differre à communi sententia, vocando illū  
modum, quantitatem. Durandus vero dicit, carere  
corpus Christi in sacramento aliqua forma reali, p-  
pria & accidentia: & quod difficilius est, dicit carere  
omnibus qualitatibus propriis, & connaturalibus.  
Solet autem hoc loco referri alia opinio, & tribui A-  
gidio, & Carthusiano, scilicet, esse in Eucharistia qua-  
ntitatem corporis Christi, nō tamen constituturē illud  
quantum. Verum, neq; illi auctores hanc sententiam  
docent, vt constat ex Carthusi. in 4. d. 10. q. 1. & 3. vbi  
Agid. etiam refert, neq; in re ipsa potest habere aliquā  
probabilitatis speciem, nisi fortasse sit abusus termi-  
norum, ipsum esse extensum in loco vocando esse  
quantum, seu effectum formalem quantitatis, vt fa-  
cile patere potest ex dictis supra, disp. 4. §.

Carthusi.  
Agidius.

Dicendum ergo est, corpus Christi in Euchari-  
stia habere ibi præsentem suam quantitatem, qua af-  
ficatur, & vere quantum ibi constituitur. Est commu-  
nis sententia: tenet D. Thom. hic artic. 4. & in 4. d. 10.  
q. 1. art. 2. quaest. unc. 3. Bonauen. art. 1. q. 2. Richard.  
art. 1. q. 2. Palud. q. 2. Scot. q. 1. §. De secundo. Maior,  
q. 3. Heruæus, q. 1. artic. 3. Soto, q. 2. artic. 4. Alenf. 4. p.  
q. 40. membr. 3. art. 4. Altiusod. lib. 4. summa, tract.  
5. cap. 4. Marli. in 4. q. 7. art. 1. Ledesm. q. 17. ar. 4. Hen-  
ric. quodl. 1. q. 5. Agid. quodl. 2. q. 4. quodl. 3. qu. 17. &  
Theorem. 10. & 33. de Eucharist. Ferrar. 4. cont. genr.  
c. 64. art. idem docuit Innoc. libr. 4. de Myster. Eu-  
char. cap. 8. Probatur autem in hunc modum, quia  
vel procedimus in opinione negante quantitatem  
distingui realiter à re quanta: vel in alia, quæ affir-  
mat, esse rem prorsus distinctam à substantia, & ma-  
teria prima: in vtraque autem sententia, necessario  
dicendum est, Christi corpus habere hic suam quan-  
tita-tem: ergo. Probatur prior pars contra Nominales  
qui reuera non loquuntur consequenter: confun-  
dunt enim ipsum Vbi intrinsecum cum quantitate:  
quia nihil aliud dicunt esse quãtitatem, quam ipsam  
in loco extensionem, seu actua-lem loci occupatio-  
nem, quæ non distinguitur ab ipso Vbi: hoc autem  
esse per se falsum, cõstat, quia per omnem loci muta-  
tionem, mutatur Vbi intrinsecum, & extensio in lo-  
co, saltem hæc numero in indiuiduo: & tamen non  
mutatur quantitas in indiuiduo: ergo non sunt om-  
nino idem, sed quantitas & esse quantum, est ali-  
quid prius, quam actualis repletio loci, quod natu-  
raliter subest successiue variis vbiicationibus, seu ex-  
tensionibus in loco: & ad illas comparatur, vt potē-  
tia ad actum, seu vt actus primus ad secundum: Quod  
si fortasse hoc totum concedant, inquiram vltcrius,  
an illud esse quantum, quod supponitur & perma-  
ner sub variis vbiicationibus, sit ex natura rei distin-  
ctum à substantia, necne. Si non est distinctum, est  
inseparabile ab illa: & consequenter necesse est: vt  
corpus Christi in sacramento habeat illud esse quan-  
tum. Si vero distinguitur, aut tanquam res à re, &  
hoc ipsi negant, aut tanquam modus, & tunc non  
habent Nominales aliquod fundamentum, quo ta-  
lem modum magis distinguant ex natura rei mo-  
daliter à substantia, quam proprie & in rigore reali-  
ter, vt rem à re, & ita reuera solum ipsi explicant mo-  
dum aliquamter distinctum & separabilem secundum  
extensionem localem: Deinde esto, admittamus hūc  
modum ex natura rei distinctum, nullum est funda-  
mentum ad negandum, corpus Christi in sacra-  
mento secum asserre talem modum: quia non est modus

Corpus Chri-  
sti habet in  
Eucharistia  
suam quan-  
tita-tem.  
S. Thomas.  
Bonauen.  
Richard.  
Paludan.  
Scotus.  
Maior.  
Heruæus.  
Soto.  
Alenf.  
Altiusod.  
Marli.  
Ledesm.  
Henric.  
Agid.  
Ferrar.  
Impugna-  
tur.  
Nominales.

Ggg pen-

pendens à loco, sed prior omniloco, idemque permanens variatis locis: & alioqui est magis intrinsece coniunctus corpori Christi quam alia accidentia vel qualitates eius, quas ipsi Nominales concedunt comitari in sacramento corpus Christi: Quod si fortasse dicant, hunc modum posse quidem manere sine hac vel illa extensione ad locum, non vero simpliciter sine vlla extensione, hoc iam Durando communis est, & fuse est à nobis in superioribus tractata, disputat. quadragesima octava, ubi ostendimus, posse quantitatem per potentiam Dei absolutam privari omni actuali extensione in ordine ad locum. Nec Nominales in prædicto sensu hoc negant, sed quia non admittunt rem aliquam, vel realem modum inter substantiam, & actualem extensionem in loco. Unde necesse est, ut vel fateantur, substantiam per se ipsam formaliter esse quantam, & consequenter corpus etiam Christi in sacramento esse quantum, vel certe formaliter fieri quantam per ipsam actualem extensionem in loco, & consequenter quantitatem nihil aliud esse, quam actualem ipsam extensionem, & hac mutata, mutari etiam quantitatem, quo nihil absurdus dici potest.

*Impugnatio Durand.*

Procedendo autem in alia sententia, ponente quantitatem realiter distinctam à materia, sit argumentum contra Durandum ex D. Thoma supra, articulo 1. Quia substantia corporis Christi ita est realiter coniuncta suæ quantitati, ut ab ea nullatenus vsquam separetur: ergo ubicunque est substantia, ibi est quantitas: ergo etiam in sacramento. Respondet Durandus, negando secundam consequentiam, quia Christus non est in sacramento localiter, sed tantum secundum præsentiam ordinis, & ideo quâuis substantia eius, & quantitas nusquam localiter separetur, separari possunt secundum præsentiam sacramentalem, quia potest substantia habere quandam habitudinem & ordinem ad hoc sacramentum, quem non habet quantitas. Sed hæc responsio Durandi, & ex alio errore procedit, & sane in ea non consequenter loquitur. Primum patet, quia talem ponit præsentiam ordinis, ut videatur destruere veritatem realis præsentia, qua substantia corporis Christi intime sit contenta sub speciebus panis, & ab illis realiter indistans. Secundum patet, quia, si hæc præsentia sacramentalis solum esset eiusdem ordinis, & habitudinis extrinseca, facilimum intellectus esset, Christi corpus non solum habere illam habitudinem ratione substantia, sed etiam ratione quantitatis. Supposita autem sana doctrina de veritate, ac proprietate huius præsentia realis sacramentalis, consequenter iuxta contrariam sententiam concedendum esset, substantiam corporis Christi, licet in cælo sit realiter vnita quantitati, tamen, prout est in sacramento, esse separatam ab illa: quia ibi caret illa, & vnione ad illam: hoc autem, quamuis secundum potentiam Dei absolutam non sit impossibile, tamen concedere, ita factum esse, est valde absurdum. Primo, quia in superioribus ostensum est, non esse impossibile, esse hic corpus quantum, quamuis non sit in loco extensum, & alioqui magis est decens, magisque connaturale, ut materia secum deferat suam quantitatem, suamque vnionem cum illa ubique retineat: non est ergo, cur negetur ita factum esse. Secundo, quia alias eadem ratione dicitur, esse in sacramento corpus sine anima, quia etiam hoc non est impossibile, neque est maius inconueniens, materiam corporis Christi carere aliqui anima, quam quantitate, quæ est passio magis intrinseca, & ex natura rei inseparabilem vnionem habens cum illa. Atque idem fere argumentum fieri potest de substantia diuina, quia non est illa maior ratio concomitantia. Fortiusque fiet argumentum de sanguine, quod nimirum sequatur, non

esse sub speciebus panis, quia multo minus vinculum habet cum corpore, quam intrinseca eius quantitas. Quod si Durandus semel fatetur animam Christi sub speciebus panis informate materiam, etiam sibi nec quantitate, neque qualitate in temperamento sit disposita, multo facilius concedere posset, & deberet, informare materiam corporis, etiam si non habeat coniunctam materiam sanguinis, quia sanguinis coniunctio in corpore viuo solum requiritur ad debitam & connaturalem talis corporis dispositionem. Ac denique, fide sua præsentia ordinis Durandus consequenter loqueretur, dicere etiam facile posset, sanguinem ad species vini habere habitudinem ordinis, quam non habet corpus, & è contrario corpus ad species panis, atque ita in sententia Durandi fere omnis concomitantia destruitur. Tertio (& hoc argumentum est præcedit contra Nominales) sequitur ex dicta sententia, in corpore Christi, prout est in sacramento, nullam esse organicarum partium distinctionem, & illud compositum ex anima & materia nuda quantitate, vel nullas habere partes, ut multi putant, vel, quamuis habeat entitates, ut verius est, omnes illas esse quasi homogeneas & omnino similes, quia, seclusa quantitate, & proprietatibus, quæ necessario illam supponunt, non potest intelligi in corpore diuersitas partium organicarum. Quod quidem in opinione, Durandi negantis etiam qualitatem temperamentorum, est per se euident: ponendo autem cum Nominalibus in illo corpore qualitates, posset intelligi in partibus aliqua diuersitas ex vario temperamento qualitatum, non tamè sufficiens, quia in primis non posset intelligi diuersa figura, ut ipsi fatentur, est autem hæc vna ex dispositionibus necessariis ad organizationem, & ad functiones vitales. Deinde non posset intelligi densitas, & raritas, neque durities, cum tamen sine his, non possit satis intelligi organizatio vitalis: neque distinctio propria inter os & carnem, &c. Ponere autem corpus Christi in sacramento ita confusum & homogeneum absurdissimum est, tum, quia anima non est apta ad informandum huiusmodi corpus, neque ipsum est capax vite, sicut nec vitalium actionum, tum etiam, quia tale corpus careret omni pulchritudine, & esset valde monstruosum, tum maxime, quia hoc pugnat cum proprietate illorum verborum Christi: Caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus: quia vera caro non est sine tali temperamento & tali densitate, & dispositione, neque aliter potest distingui ab ossibus & aliis membris, ut diximus.

Atque ex his probationibus intelligi potest, conclusionem positam non solum procedere de quantitate, sed etiam de modis quantitatis absolutis & independentibus à loco & intrinsecis ac connaturalibus corporis humano, & membris eius, ut sunt talis densitas vel raritas, aut figura, &c. Item de qualitatibus similiter connaturalibus humano corpori in specie, & in tali indiuiduo, ut ex rationibus satis satis patet. Item de his omnibus, non in abstracto tantum (ut sic dicam) sed in concreto, seu quoad realem vnionem & informationem corporis Christi, ita ut ei, prout existenti in Eucharistia, suos effectus formales conferant: nam ad hoc ponuntur hæc omnia in sacramento, ut rationes factæ ostendunt, & alioqui impertinenter & sine causa ibi esse dicerentur.

Sed inquires, qua certitudine tenenda sit hæc doctrina, prout à nobis explicata est, & qua censura reicienda sit contraria. Aliqui enim sententiam Durandi hæresis damnant. Sed non inuenio expressam contra illam definitionem, nec testimonium Scripturæ irrefragabile: imo nec quod omnino euidenter ex principiis reuelatis conuinci possit: nam fere omnes rationes factæ ex aliquibus philosophicis principis

cipiis pendet, veris quidem ac fere certis, non tamé omnino evidentiis: & ideo nimia mihi videtur hæc hæresis censura: non tamen omnino displicet censura Alexandri Alenfis, qui erroneam illam vocat: & saltem videtur mihi temeraria: quia & est contrarium Doctorem, & sine vlla necessitate, vel urgente fundamento admittit in hoc sacramento multa indecentia, & absurda, parumq; consentanea modo loquendi Scripturæ, Conciliorum & Sanctorum Patrum, qui vbiq; docent, esse hic corpus Christi, quale est in cælo, aut quale erat in nocte cœnæ: iuxta verba Christi, Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur, & Hic est sanguis meus, qui pro vobis effundetur: quia nec tradi potest corpus non affectu quantitate, nec effunditur sanguis, nisi liquidus, & consequenter tali modo quantitatis, & talibus dispositionibus temperatur. Est ergo hæc doctrina Theologicæ certa, quamuis non de fide.

Sed quæret aliquis vltimo, an hæc doctrina ad reliqua etiam extrinseca accidentia extendenda sit: Respondetur, non vniuersaliter, neque cum æquali certitudine: itaq; inter hæc accidentia & est præsentia localis, & accidentia, quæ ab ea intrinsece pendet, vt sunt motus localis, relationes propinquitatis & distantia, &c. & hæc non cõcomitantur corpus Christi in hoc sacramento: non enim habet hic præsentia quam habet in cælo: tum, quia præsentia non transferretur de loco ad locum, vt supra dictum est, tam, quia hoc specialiter repugnat illi præsentia extensæ & diuisibili, respectu indiuisibilis præsentia huius sacramenti, & hoc docuit D. Thom. infra art. 5. ad 3. Alia vero sunt accidentia independentia quidem à loco, tamen mere cõtingenter euenientia: vt est nunc in cælo species vltibilis ad actus videndi hoc vel illud obiectum, vel in terra aliquis calor, vel frigus, & de his Maior. d. 10. q. 5. negat esse in hoc sacramento: quia pendet ab extrinseca causa, quæ alibi est propinqua, & non hic, quæ opinio non est ita improbabilis, sicut opinio Durandi, vel Nominalium: quia hoc non est contra naturalem dispositionem, & perfectionem corporis Christi: neq; contra communes locutiones Scripturæ & Sanctorum. Nihilominus probabilior est contraria sententia, quam D. Thom. insinuat dicit. ar. 5. ad 3. quam cæteri authores communiter sequi videntur, quia etiam hic habet locum, realis concomitantia: & nihil est quod illam impediatur, præsertim cū in superioribus ostensum sit, magis cõnaturale esse corpori in duobus locis existenti, vt in vtroq; loco habeat, quicquid in altero eorum denique recipit, de qua re videnda sunt: & ad hunc locum applicanda, quæ supra disp. 48. de hac re tractata sunt.

## SECTIO III.

*Vtrum caro & sanguis Christi sint sub speciebus sacramentalibus ex vi verborum, vel per concomitantiam.*

Vtherus, vt referunt Ruardus articulo. 13. & Cochlæus libr. 2. Miscellanearum, cap. 9. irritat hanc distinctionem de iis, quæ existunt in hoc sacramento ex vi verborum, & de iis, quæ existunt per concomitantiam, quam omnes Scholastici recipiunt: eam vero approbavit Concil. Trident. sess. 13. cap. 3. non quod modum illum loquendi tanquam de fide certum definite intendat, sed rem solam: hæc enim est, quæ directe ad doctrinam fidei pertinet, scilicet totum CHRISTVM sub singulis speciebus contineri, & ita hoc solum tradit sub anathemate, canon. 1. & 3. Quia vero hæc fides optime explicatur per illud duplicem modum constituendi aliquid in hoc sacramento, ideo Concilium, ad declarandum mysterium, ea distinctione vsum est. Quocirca licet non sit aperta hæresis illam negare, est tamen ingens temeritas, & magnus error: præsertim cum ex principiis Franc. Suarez Tom. 3.

piis fidei non obscure colligatur, vt ex dicendis constabit. Id ergo dicitur poni ex vi verborum in Eucharistia, cuius præsentia ad verborum veritatem necessaria est, seu (quod perinde est) quod præcise per verba significatur: nam tam veritas, quam efficacia significationi respondet: verba enim efficiunt conuersionem, quam vere significant: vnde etiam dici potest esse ex vi verborum id, quod per se terminat conuersionem, quod quomodo intelligendum sit, postea trademus. Vnde è contrario per concomitantiam dicitur esse, quidquid in hoc sacramento ponit, non quia fit simpliciter necessarium ad veritatem verborum, sed quia habet realem vniõnem cum eo, quod necessarium est ad verborum veritatem: an vero id, quod tantum est per concomitantiam, nihilominus etiam fiat per verborum efficaciam, dicemus postea.

Hæc explicata distinctione, dicendum est primo, sub speciebus panis esse corpus Christi Domini ex vi verborum. Conclusio est de fide, definita in Concilio Tridentino supra, & ab omnibus Catholicis Doctoribus recepta, & satis per se clara, supposita veritate huius mysterij, quia verba formæ, qua consecratur panis, nihil aliud immediatius significant, vel ad suam veritatem requirunt. Difficultas autem est in explicando, quid complectatur ea vox, Corpus Christi: includere enim potest materiam, formam, & accidentia, & de forma quidem, & accidentibus dicemus duabus sectionibus sequentibus. Hic igitur circa materiam certum imprimis videtur, totam illam materiam, quæ in nocte cœnæ, quando Christus instituit hoc sacramento, constituere seu integrabat corpus eius cœpisse esse ex vi verborum sub speciebus panis, & hoc conuincit illa particula, meum: nam illa determinat significationem ad illam materiam, quæ tunc erat Christi, dicitur autem fuisse Christi, quia corpus eius tunc componebat. Vnde obiter primo colligitur, corpus, quod hic est ex vi verborum non dicere materiam in communi, vt abstrahit ab hac vel illa indiuidua materia, nec dicere solum communem illum gradum corporis, quod est subalternum genus prædicamenti substantia, vt sentire visus est Picus Mirandulanus in Apologia, quæstio. 6. quia non qualibet materia, sed hæc tantum indiuidua Christi corpus composuit, & similiter corpus in illa generalitate sumpsum non petit hæc determinatam & indiuiduam materiam, quam petit corpus Christi, quod hic est ex vi verborum. Et ratio adhiberi potest, quia hæc sunt verba practica, & operatiua, & ideo oportet, vt, tam ex sua significatione, quam ex intentione operantis, indiuiduum corpus significant, saltem ex parte materia, quia omnis actio circa singulare versatur: Vnde vterius colligitur, non tantum partem aliquam, sed materiam omnium partium organicarum, quæ tunc erant in corpore Christi, cœpisse esse sub speciebus panis ex vi verborum: ita docet D. Tho. hic art. 1. q. 1. & Thom. ad 2. & reliqui Doctores in 4. distinctione 10. & Alexander Alenfis. 4. part. quæst. 38. membr. 5. Gab. leq. 42. in Canon. & Egidius Theorem. 30. de Eucharist. qui non solum docet, materiam harum partium, sed etiam ipsasmet partes organicas fuisse in sacramento ex vi verborum, quod nos supra insinuauimus contra Durand. & Nominales: tum, quia illa particula (meum) determinat corpus humanum: corpus autem humanum intrinsece requirit, vt sit organicum, tum etiam, quia propria caro non intelligitur, sine organizatione: est autem sub speciebus panis ex vi verborum propria, & vera caro, iuxta illud: Caro mea vere est cibus, &c. Et ideo Sancti indifferenter dicunt, conuerti panem virtute verborum in corpus, vel carnem Christi. Vnde illud Ambros. 4. de sacrament. capitul. 4. De pane fit caro Christi. Et Cyprian. sermon. de Cœna Domini dicit, Christum consecrasse his verbis, Hæc est caro mea, intelligens,

gens, carnem (à parte totum significando) interdum totum corpus homini indicare iuxta illud: Caro mea requiescat in spe: atq; adeo, tam propriam carnis partem quam cæteras, quæ totum corpus componunt, ex vi talium verborum sub speciebus panis constitui.

*Obiectio.* Dices, aliqua sunt partes, quarum licet vna vel altera à corpore separaretur, nihilominus permanebit verum corpus humanum, vt digitus, aut brachium, &c. Ergo sine illis vera essent illa verba, Hoc est corpus meum: ergo illæ non erunt hic ex vi verborum, iuxta definitionem supra datam. Respondetur, negando consequentiam: quia corpus Christi proferentis illa verba non erat mutilum, sed perfecte integrum, & ideo tale corpus significatur, & determinatur per illa verba (Corpus meum): hæc autem partes omnes necessariae sunt in corpore humano integro & perfecto: omnes ergo conferunt ad perfectam & integram veritatem illorum verborum: sunt igitur omnes ex vi verborum, & ad omnes per se terminatur conuersio, non sigillatim, sed vt omnes componunt vnum totum perfectum. Dices vltius, licet hæc partes requirantur in corpore viuo, non tamen in mortuo: hic autem non est corpus viuum ex vi verborum: ergo neque illæ partes. Respondetur negando simpliciter maiorem: quia corpus, etiam mortuum, pro ut suo modo humanum est, suam requirit partium integritatem ne truncum sit, vel mutilum: illæ ergo partes, quæ sunt de integritate huius corporis perfecti in vtroque statu vitæ, aut mortis, dicuntur hic esse ex vi verborum, nam vt supponimus, corpus hic præscindit à mortuo & viuo, & huiusmodi videntur esse partes solidæ: aliæ vero quæ dici possunt partes fluidæ, vt sunt humores, non pertinent ad corpus exanime, sed tantum ad corpus viuum, ad cuius naturalem consistentiam requiruntur, & ideo necesse non est huiusmodi partes esse sub speciebus panis ex vi verborum, vt infra dicitur.

*Dubium.* Sed quid tandem dicendum est de præputio corporis Christi, quod in ipso non erat, quando primum posuit in sacramento sub speciebus panis: ergo nec nunc ponitur ex vi verborum, sed ad summum, per concomitantiam: quia tunc exercuerunt verba Christi totam vim suam. Nihilominus contrarium videtur probabilis, scilicet præputium Christi, seu materiam eius nunc poni sub sacramento ex vi verborum: quia reuera pertinent ad integritatem illius corporis, & de substantia eius, & ita etiã in prima cõsecratione futurum fuisse, si tunc corpori non deesset: quia reuera clauditur sub perfecta corporis significatione. Quocirca, sicut interdum ponitur aliquid in hoc sacramento per concomitantiam, quãuis veritas verborum id non requirat, quia in re ipsa est coniunctum corpori Christi, ita è contrario, interdum aliquid q̄ fieri potest ex vi verborum, non fit, quia in re ipsa deest corpori Christi in propria specie existenti, quia iuxta institutionem, tale corpus ponitur in sacramento, quale in se est.

*Solutio.* Dico secundo, Sanguis Christi Domini est sub speciebus vini ex vi verborum. Hæc conclusio eodem modo tractanda est, quo præcedens: est enim eadem definitio Concilij & eadem communis doctrina, eademque ratio, vt per se constat. Quid vero nomine sanguinis significetur, quoad formam & accidentia, dicitur postea, quoad materiam vero dicendum est, sanguinem, qui fit ex vi verborum in calice, constare debere ex illa singulari materia, ex qua fuit totus sanguis, quem Christus in corpore suo habuit in nocte cœnæ, vt satis declarant illa verba: Hic est sanguis meus, qui pro vobis effundetur. Sed ex his eisdem verbis sumperunt aliqui occasionem dicendi nõ totum sanguinem corporis Christi cœnantis cum discipulis esse hic ex vi verborum, sed solum illum quem in passione effudit, credunt enim, aliam sanguinis copiam remansisse in venis, vel in iccore, qui non consecraretur in triduo: quia non fuerat in passione

ne effusus, verba enim Christi limitata fuerunt ad illum sanguinem: ergo nec nunc consecratur ex vi verborum. Imo fortasse neq; villo modo nunc consecratur: nam in corpore Christi glorioso minor copia sanguinis esse videtur, quã fuit in nocte cœnæ in corpore passibili: quia non requiritur nunc in alimentum, sicut tunc: ille aut sanguis præcipue creditur reassumptus in resurrectione, quia in passione fuit effusus. Vnde iuxta hanc opinionem satis erit dicere, nunc esse ex vi verborum in calice totum sanguinem in passione effusum, & totum etiam, q̄ nunc est in corpore Christi glorioso: nam creditur esse omnino idem. Sed quamquam hæc vera sint, etiam existimo verum, in nocte cœnæ fuisse ex vi verborum sub speciebus vini totum sanguinem, qui tunc erat in corpore Christi: quia essentialia verba formæ sunt hæc: Hic est sanguis meus, & Cõcilium Trident. absolute docuit, sanguinem Christi fuisse in calice ex vi verborum: hæc autem indefinita significatio æquiualeat vniuersali: neque est verisimile, CHRISTVM intentione sua potius vnam partem sanguinis assignasse, quam aliam, cum verba totum significant. Neq; obstant verba illa, Qui pro vobis effundetur: tum quia primum est, & valde probabile, Christum totum suum sanguinem in passione effudisse: cuius testes sunt aqua & sanguis, quæ de latere eius fluxerunt, tum etiam, quia (quicquid de hoc fit) illa particula non est de essentia formæ, vt infra dicam, neq; addita est ad limitandam quantitatem sanguinis consecrandi, sed ad commendandum valorem & efficaciam huius sanguinis, & indicandum finem, propter quem illa consecratio fit, scilicet in memoriam nostræ redemptionis, quæ effusione illius sanguinis perfecta est. Exemplo res declaratur: nam, cum consecratur oleum ad infirmos vngendos, quamuis in ipsa benedictione sæpe fiat mentio huius finis, non ideo tantum illa pars olei benedicta creditur, qua postea perficitur vinctio, sed similiter totum oleum: sic igitur Christus totum sanguinem suum simpliciter consecrauit: quia illo nos erat redempturus, siue illum postea totum effuderit, siue non. Quapropter, si in triduo vinum consecraretur, totus sanguis, tam qui effusus est, etiam si esset per varia loca dispersus, quam si quis in corpore manisset, in calice esset sub speciebus vini: nunc vero consecratur totus, qui est in corpore glorioso, qui nõ est, cur censeatur minoris quantitatis, quam fuit in nocte cœnæ, quia licet non requiratur per modum alimenti, tamen corpus gloriosum est purius ab omnibus excrementis, & loca illa, quæ excrementa occupabant, plena sunt sanguine, & purissimis humoribus.

Sed quæres obiter, an hic sanguis fit ex vi verborum, per modum vnius continui sub speciebus vini: & est ratio dubij, quia contingit extra sacramentum illum sanguinem esse discontinuum, & per varia loca dispersum: ita autem est in sacramento, sicut extra, vt sæpe dictum est: esset ergo tunc sanguis in sacramento discontinuus & diuisus: ergo vis verborum non requirit illam vnitatem & continuitatem. Respondetur esse hoc probabile, neq; aliquid inconueniens ex illo sequi, nihilominus tamen posse contrarium facile defendi, nam hic sanguis sine dubio per modum vnius per formam significatur, atque ita etiam conficitur. Vnde si vltius addamus ex vi verborum fieri, vt totus ille sanguis sub speciebus sit sibi coniunctus, & loco indistans, & eiusdem rationis, & loco indistans, statim continuatur: diuisio autem illa, quæ interdum reperiri potest inter partes sanguinis, præcise oritur ex distantia locali, & ideo necesse non est, vt sanguis, qui est in sacramento, in hoc imitetur modum existendi, quem idem sanguis habet extra sacramentum, vt patet ex doctrina supra tradita de proprietatibus rei pluribus locis existentis.

Dico

*Sanguis Christi ex vi verborum est sub speciebus vini.*

nexio: sicut supra etiam de corpore & vestibus dicebamus.

SECTIO IV.

Verum ex vi verborum sit in sacramento aliqua forma substantialis.

Quæstio hæc tractari solet specialiter de corpore Christi, prout sub speciebus panis continetur, fortasse quia illa species, & prior & notior, ac vsu frequentior, & ita etiam à nobis prius differetur, & deinde ad sanguinem facile applicabitur resolutio, quia quæstio, reuera, communis est vtriq[ue] speciei, vt à nobis proposita est.

Prima itaq[ue] opinio negat, aliquam formam substantialem esse hic ex vi verborum, sed solam materiam primam. tenet Gabr. lect. 42. in Canon. & in 4. distinctione. 11. quæst. 1. artic. 1. Marfil. quæst. 8. artic. 2. in fine. Ægidius Theorem. 28. 29. & 30. Maior dist. 10. quæst. 5. in principio citatur etiam Palud. quæst. 3. art. 3. nu. 32. sed immerito. Fundamentum, quia corpus cum forma panis, non significat compositum, sed alteram partem physicam compositi, illo modo, quo dicitur homo constare ex corpore, & anima, vel quo Aristoteles dixit, animam esse actum corporis physici, organici: ergo ex vi illius formæ solum illud corpus fit in sacramento, quod est pars physica, & essentialis humanitatis: hoc autem nullam includit formam, sed solam materiam. Assumptum declaratur primo, quia hoc satis est ad propriissimam significationem illius formæ. Secundo colligi potest ex illa particula [meum] quæ non proprie indicat totum compositum sub aliquo præciso gradu metaphysico, sed proprie partem aut rem physicam, vt si quis dicat, hoc est animal meum, proprie designabit aliquod animal, quod possidet, non tamen proprie seipsum sub præciso gradu animalis, sed potius diceret, ego sum hoc animal. Christus ergo dicendo: Hoc est corpus meum: designauit partem physicam humanitatis, quæ est materia. Tertio, quia in triduo fit materia corporis Christi sine vlla forma substantiali, vt prædicti authores putant: ergo, si tunc fieret consecratio, sola materia esset sub speciebus panis, & in illa saluaretur tota veritas, & efficacia formæ: ergo sola illa est ex vi verborum. Quod si quis dicat, assumptum esse falsum, responderetur, vim argumenti non hinc dependere: quia saltem conditionalis est vera, quod si materia corporis Christi ita permanisset, consecratio etiam prædicto modo fieret, quod satis est ad vim verborum explicandum. Quarto, quia nulla forma substantialis potest hic esse ex vi verborum, quia neque anima, quia non est hic corpus viuum ex vi verborum, nec forma cadaveris: quia etiam non est mortuum ex vi verborum, nec aliqua forma physica, communis vtriq[ue], quia nulla est: nec forma communis abstracte seu logicæ secundum aliquem gradum metaphysicum: quia (vt supra dicebamus contra Mirandulanum) communis gradus non potest esse terminus actionis realis, qualis significari debet per verba huius formæ, quæ practica sunt, & intendi ab operante seu consecrante. Quod tandem confirmatur, quia alias ex vi horum verborum non esset semper idem numero corpus sub his speciebus, contra vim illius vocis [meum]: quæ designat singulare, & indiuiduum corpus.

Secunda opinio est, esse hic ex vi verborum formam corporeitatis, vt loquuntur Scotus, d. 10. qu. 4. dist. 11. qu. 3. art. 2. Richard. artic. 2. q. 2. Ocham in 4. quæst. 6. vel formam mixti, vt loquitur Henricus quodl. 3. qu. 6. & 8. quodl. 9. qu. 8. & 9. qui eis fundamentis niti debent, quibus præcedens opinio, addendo (corpus) in prædicta forma panis, non significare tantum corpus quantitatum, sed substantiale, quod non solam materiam includit, sed etiam formam constituentem illud sub ratione corporis: huiusmodi

Ggg 3 autem

Prima opinio negat in Eucharistia esse aliquam formam substantialem ex vi verborum. Gabriel. Marfil. Ægidius. Maior.

Secunda opinio ex vi verborum p. n. t. formam corporeitatis. Scotus. Richard. Ocham. Henricus.

Dico tertio: Corpus non est sub specie vini, nec sanguinis sub specie panis ex vi verborum: sunt tamen per concomitantiam. Prior pars negatiua non ponitur expresse à Conc. Trident. nisi quatenus ex altera affirmatiua inferri potest, eam tamen docent communiter Theologi cum Magistro in 4. d. 10. D. Thom. hic, Alenf. 3. par. quæst. 38. memb. 5. Bonau. dist. 11. art. 1. quæst. 4. Marfil. quæst. 8. art. 2. & Gab. lect. 42. in Canonem. Et patet ex terminorum expositione supra data: quia, neque verba consecrationis panis quicquam de sanguine dicant, neq[ue] verba calicis aliquid de corpore. Vnde in triduo illorum veritas integra, & efficax esset sine præsentia sanguinis sub specie panis, &c. ergo. Et confirmatur ex fine talis institutionis, quia est expressa repræsentatio mortis Christi: vt enim effusio sanguinis, & separatio animæ à corpore expressius repræsentaretur, voluit Christus, corpus & sanguinem ex vi verborum seorsim consecrari: nam quia re ipsa separari iam non poterant: quoniam Christus resurgens à mortuis iam non moritur, saltè in modo, & vi consecrationis decuit separationem repræsentari. Quapropter non videtur mihi probabile, quod Scotus visum est in 4. d. 10. q. 4. ad secundum, scilicet sanguinem in hostia ex vi verborum non quidem, vt terminum integrum consecrationis, sicut est in calice, sed vt partem integri termini: nam sanguis est pars corporis. Sed ad hoc iam responsum est in Cõment. art. 2. & in hac ipsa sectione, circa conclusionem primam, sanguinem non esse partem corporis, prout est in hostia ex vi verborum: quia sanguis solius corporis viui pars est. hic autem non est viuum ex vi verborum. Vnde facile etiam constat, idem dicendum esse de aliis humoribus, & de spiritibus vitalibus: hæc n. sub neutra specie sunt ex vi verborum, quia non sunt partes corporis aut sanguinis vt sic: vnde nec sunt per se necessaria ad veritatem vtriusq[ue] formæ.

Alteram partem conclusionis, quoad rem ipsam, de fide certa est: vt constat ex Concilio Trid. & ex hæcenus tractatis, ostendimus enim totum Christum esse sub singulis speciebus: est ergo corpus in calice, & sanguis in hostia. Vnde ad hoc probandum interdum sanguis miraculose ab hostia manauit, vt referunt Vincentius in Speculo historiali li. 30. c. 24. & Alenf. 4. par. quæstio. 53. memb. 1. & propter eandem causam dicuntur fideles sumere sanguinem sub speciebus panis, iuxta illud Osæ 14. vt legunt 70. Interpretes. Bibent, & inebriabuntur frumento, & florebunt quasi vinea, & memoriale eius, quasi vinum Libani. Modus autem loquendi seu explicandi hæc re concluditur ex dictis, nam sanguis est in hostia, & corpus in calice, & non ex vi verborum, vt ostensum est: ergo per concomitantiam. Rogabis qualis sit hæc concomitantia, vel in qua reali conexione fundetur, nulla n. realis vnio inter corpus & sanguinem intercedere videtur, sed tantum localis continentia, est n. sanguis in corpore, tanquam in vase, hæc autem coniunctio sola non satis esse videtur ad concomitantiam sacramentalem. Respondetur, si vera esset opinio dicens sanguinem informari anima, facilis esset responsio, oporteret enim sanguinem aliqua ex parte esse continuum cæteris partibus, & ita esset facilis concomitantia, tamen quia illa opinio falsa est, dicendum aliter est, concomitantiam consistere in naturali dependentia, quam corpus viuum & sanguis habeant inter se, ratione cuius postulent, vt sint inter se connexa & communita, quia neque corpus in naturali statu suo potest conseruari sine sanguine, neque sanguis extra corpus conseruari potest in corrupto, neque in proprio & conaturali statu: vnde mutuo se fouent, & iuuant, vel per effectiõnem, vel aliis modis. Vnde fatemur, localem continentiam per se solam non sufficere: nam, si in triduo pars aliqua sanguinis inera corpus remanisset, & fieret consecratio, nulla esset concomitantia, vt sentit D. Tho. hic art. 2. quia tunc non esset inter illa prædicta naturalis con-

Franc. Suarez Tom. 3.

autem forma iuxta hanc opinionem est specialis forma physica, distincta ab anima, quæ sola (secundum Scotum) manet in corpore Christi in triduo. Quocirca, qui opinaretur, partes organicas distingui partialibus formis substantialibus, distinctis ab anima, & prioribus, independentibus ab illa, consequenter diceret, etiam illas esse hic ex vi verborum: atque idem censerent de formis elementorum, qui existimant eas esse formaliter in mltis. Ego vero suppono has omnes opiniones philosophicas esse falsas, quibus sublati, nullus in Theologia relinquatur locus huic secundæ sententiæ, & ideo nihil amplius de illa dicâ, quia non est hic locus latius examinandi & improbandi, illa philosophica fundamenta: procedemus ergo supponendo, tantum esse in humano corpore vnam formam substantialem, quæ est anima.

*Reiicitur.*

*Tertia docet ex vi verborum esse ibi animam, ut animam est. HERNANUS.*

Hinc ergo orta est tertia opinio affirmans, esse hic ex vi verborum animam, y anima est. Quæ tribuitur Heruæo opusculo de pluralitate formarum ad argum. 143. qui dicit quidem, hic esse animam propter vniõnem ad Verbum, non tamen esse hic viuificantem & informantem corpus. In quo sensu, est opinio falsa & impertinens, primo, quia, si non informat corpus, adhuc superest quæstio, an ex vi verborum sit aliqua forma informantem, vel sola materia. Secundo, quia, si non informat, est impertinens ad veritatem verborum: non ergo erit hic ex vi verborum: vniõ enim ad Verbum, ad hoc non satis est: quia ipsamet vniõ ad Verbum, non est ex vi verborum, sed per concomitantiam, ut infra dicitur: imo talis vniõ neque ad concomitantiam sufficeret: quia non vbi cunq; est Verbum, ibi est anima, & ideo in triduo, licet anima esset vniõ Verbo, non propterea fuit per concomitantiam in sepulchro, vbi erat corpus, etiã vniõ verbo. Ut ergo hæc opinio aliquid ad rem asserret, dicere deberet, hic esse ex vi verborum corpus Christi viuum, & ideo eodem etiam modo esse animam. Potest autem assumptum suaderi, primo, quia, cum Christus dixit: Hoc est corpus meum: suum corpus designauit, prout tunc erat: ergo, sicut tunc erat viuum, ita significatur, & conficitur ex vi illorum verborum. Secundo, quia significatio illorum verborum debet esse vniõca & particularis, ut possit esse efficax, & practica: ergo debet determinate significare corpus viuum: nam si distinctim significaret corpus viuum, vel mortuum, haberet significationem æquiuocam, nam, teste Aristotele, caro, os, & similia æquiuoce dicuntur de corpore viuo, & mortuo. Tercio, quia in cap. In quadam, de Celebrat. Missar. dicitur corpus Christi esse humanum: quia informatur anima (corpus) autem illa forma significat corpus humanum, & in hac significatione prolatum fuit hoc verbum à Christo: non ergo potest in alia proferri. Quod si obiciatur, quia iuxta hæc nõ posset hæc forma in triduo fere proferri, nec quicquam efficere. Respondendum consequenter est, vel concedendo totum, ut supra ex quadam Glossa retulimus, vel certe dicendum esset, quod etiam tunc verba efficerent corpus Christi viuum, sicut illud significant: quia cũ non sint tantum adductiua, sed etiam effectiua non semper illud efficiunt, quale in propria specie existit, sed quale illa significant.

*Quarta dicit esse ibi animam, ut dat esse corporei præcisè.*

Quarta sententia est, hic esse ex vi verborum formam substantialem, ut præcisè dantem esse corporeum, non quod talis forma in re ipsa sit physice distincta à forma specifica, sed quod sit ipsamet forma specifica, quæ à parte rei fuerit in tali corpore, non secundum propriam rationem suam, sed secundum præcisam rationem, qua constituit corpus. Quocirca, si in corpore Christi in propria specie existente, fuerit anima rationalis, illa erit in hoc sacramento ex vi verborum, non tamen ut anima est, sed ut est forma corporis. Hæc est opinio D. Thomæ, præcedenti quæstio, articulo 6. ad 2. sed non eodem modo illam Thomistæ interpretantur: quidam e-

nim dicunt (corpus) in forma consecrationis supponere tantum pro materia, connotare autem animam, ut dat esse corporeum. Ita Soto distinctione 10. quæst. 1. articulo 1. Ledesma, quæstio. 17. articulo 1. dub. 4. Palacius distinctione 3. disputatione 4. conclusiõne 4. qui refert Auerroem in paraphrasi Metaphys. Sed hic modus loquendi mihi non videtur necessarius, nec D. Thom. consentaneus: hic enim 1. part. quæst. 76. articulo 4. ad 1. simpliciter dicit, corpus per animam constitutum esse corpus, sicut in esse viuientis: nemo autem dicit, viuens supponere pro materia connotando animam, ratio autem est, quia compositum ex materia & forma substantiali ut sic, est per se vnum, quod per modum absolutum significatur per vocem corporis, sicut per vocem viuientis, aut animalis: sicut ergo hæc voces non supponunt pro materia prima connotando formam, sed pro subsistente in tali natura composita ex materia & forma sub tali gradu, ita corpus non supponit pro materia, connotando animam, ut dantem esse corporeum, sed pro natura corporea, id est, composita ex materia, & forma, dante esse corporeum. Quocirca sine causâ æquiparant prædicti auctores in hac suppositione corpus cum albo: alioqui, sicut hæc est vera locutio, album est homo, vel nix, ita etiam hæc esset vera, corpus est materia, & pura potentia, quod est præter communem loquendi modum: dicitur enim corpus materiale, non materia ipsa. Ratio autem differentia est, quia compositio ex subiecto & albedine est accidentalis, & illa forma aduenit supposito constituto, quod in illa subsistit, & ideo pro illo tantum supponit vox (album) corpus: vero dicit compositum per se vnum & substantiale, cuius forma non aduenit supposito constituto, sed ex illa cum materia resultat: quod proinde non in sola forma, vel materia subsistit, sed in tota natura ipsius compositi, & propterea etiam, (album) est terminus connotatiuus, de formali significans albedinem & connotans subiectum, (corpus) vero est terminus absolutus, adæquate significans naturam corpoream. Vnde si corpus non sumatur per modum partis, sed in vi concreti, & per modum totius, illique tribuendum sit aliquod formale significatum, illud certe non erit forma physica substantialis, dans esse corporeum, sed integra natura metaphysica, constans ex materia & forma substantiali ut sic: sicut (homo) de formali significat, non animam rationalem, sed humanitatem. Tandem hoc plane constat in forma calicis: quis enim dicit sanguinem ibi supponere pro materia prima, & non pro subsistente in tali natura composita ex materia & forma sanguinis? ergo idem aequali vel maiori ratione dicendum est de corpore in forma consecrationis panis. Aliter ergo explicatur hæc sententia, scilicet, directe, & ex vi verborum esse hic corpus substantiale, quatenus dicit compositum ex materia & forma substantiali dante esse corporeum: & ita illam defendunt Caiet. circa dictam solutiõnem ad 3. D. Thom. Palud. in 4. d. 10. q. 3. circa finem, Caiet. preol. d. 10. qu. 2. articulo 3. ad argumenta Scoti contra primam concl. & mihi videtur vera sententia, quam ut sigillatim probem, sequentes conclusiones subiciõ.

Prima fit, in hoc sacramento est forma substantialis, & non sola materia, ex vi verborum. Probatur ex propria significatione verborum, corpus enim substantiale, ut dictum est, non est sola materia, sed compositum aliquo modo ex materia & forma. Quod aptius declaratur ex forma sanguinis: nullus enim dicit sanguinem esse solam materiam, aut posse intelligi sine propria forma substantiali: ergo eadem ratione corpus includit suam formam: est enim par ratio: quia corpus illud est humanum, & includit carnem & ossa, &c. Et ideo ex vi verborum est hic caro, ut supra dicebamus: non magis autem potest

potest intelligi caro, quam sanguis sine forma substantiali. Denique sola materia non sufficit ad veritatem verborum: ergo non sola est ex vi verborum: antecedens patet: tum, quia materia non est corpus, ut ostensum est: tum etiam, quia hic esse non potest corpus Christi, nisi aut mortuum, aut viuum: in neutro autem statu includit solam materiam: ut de corpore viuo est per se notum: & de mortuo ostensum late est in superiori tomo: corpus enim Christi mortuum naturali modo existit, excepta vnione hypostatica: materia autem non potest naturaliter existere sine omni forma: ergo id etiam, quod commune est corpori humano, viuo ac mortuo, scilicet, quod sit constans ex materia & forma substantiali aliquo modo organica, est hic ex vi verborum. Vnde oritur duplex confirmatio: quia in hoc sacramento fit propria transsubstantiatio: ergo ex vi verborum non terminatur ad solam materiam, sed ad compositum substantiale: ergo non solum materia: sed tale compositum est hic ex vi verborum. Secunda confirmatio est, quia terminus actionis, quam verba ex vi sua efficiunt, esse debet aliquid, quod naturaliter possit existere ex vi sue substantialis, sed non est huiusmodi sola materia: ergo non sola illa fit ex vi verborum.

præterquam, quod repugnat torrenti Doctorum, in multas incidit difficultates, quas non poterit explicare: quale enim esset illud corpus, gloriosumne, an mortale? neutrum dici potest, cum fundamento: sanguis item vel consecraretur tunc corruptus, qualis ita est extra corpus, vel in ea naturali dispositione, quam habet in corpore: si enim primum dicitur, non consequenter proceditur, si autem dicitur secundum, dicendum consequenter esset, tunc etiam futurum fuisse corpus sub speciebus vini, atque ita euerteretur tota concomitantia ratio. Ac tandem, si corpus Christi in propria specie existens non sit, quasi mensura & exemplar eiusdem existētis in sacramento, nihil certum dici potest de proprietatibus & conditionibus, quas huiusmodi corpus in sacramento habet: nam, ut dixi, ratio concomitantia tollitur, & alioqui vis verborum indifferens manet ad multa huiusmodi: ergo necessario dicendum est, tale fuisse consecrandum corpus in triduo, quale tunc erat in propria specie, & consequenter vim & veritatem verborum non requirere corpus viuum.

Tertia igitur conclusio fit, ex vi verborum esse hic formam substantialem, quatenus sufficiens est ad constituendum corpus organicum humanum, quæ, licet secundum hanc rationem præscindat à propria ratione animæ vel formæ cadaveris, tamen in re semper est anima, vel forma cadaveris. Totâ hac conclusio consequitur ex duabus præcedentibus, & probationibus earum, & ex aliis rationibus contra alias sententias adductis, & iuxta illam existimo declarandum esse Diui Thomæ mentem: cum enim dicit formam panis conuerti in formam corporis Christi, secundum quod dicitur esse corporeum, non oportet intelligi de esse corporeo communissimo: quia reuera non tantum est hic ex vi verborum corpus vt sic (quod alii nobis obiciunt, ac si id diceremus) sed est corpus vt tale aliquo modo, scilicet, vt organicum, & præterea non vt organicum in communi, sed tali organizatione, scilicet, humana: quia hic est ex vi verborum corpus humanum: ergo etiam est hic ex vi verborum forma substantialis: non est forma corporeitatis præcise: quia vt sic, abstrahit ab organica vel non organica, neque vt est forma organica præcise: quia vt sic, abstrahit ab humana, vel non humana: erit ergo forma corporis organici humani vt sic, quæ ex vi sui conceptus præscindit ab anima & forma cadaveris humani, vtraque enim requirit aliquam organizationem propriam & accommodatam corpori humano. Duplex enim in hoc corpore intelligitur organizatio. Vna perfecta & connaturalis: altera imperfecta, & in via corruptionis: vt constat ex Aristot. 1. de Gener. text. 37. & inter vtramque concipi potest propria conuenientia, non tantum ratione accidentium, sed etiam ratione formæ substantialis, quæ, si indiuisibilis sit, vt est anima, est (vt ita dicam) eminenter heterogenea: si autem est diuisibilis, vt forma cadaveris, erit formaliter heterogenea, constans ex partibus aliquo modo diuersis, iuxta diuersum temperamentum, quod in diuersis partibus materiæ requirit: sic igitur corpus humanum, propriis membris constans, potest concipi vt abstrahens quidem à viuo & mortuo, non tamen vt commune cuiusque corpori, sed solum vt humano: ergo, vt sic, includit formam corporis, non quamcunque, sed talem, quæ habeat formaliter vel eminenter humanam organizationem, seu illam in membris corporis requirat. Et ideo, vt in superioribus dicebamus: forma cinerum, etiam in eadem numero materia recepta non sufficeret ad verificandam formam huius sacramenti: si enim Corpus Christi per impossibile in cineres fuisset redactum, non cõstitueretur in sacramento sub illa dispositione, neque illius presentia ad verborum veritatem satis fuisset. Quamquam illa forma etiam esset forma dans esse corporeum. Et idem argumentum fieri potest de

Ex vi verborum est Eucharistia forma substantialis quatenus sufficit in re semper est anima, vel forma cadaveris. Totâ hac conclusio consequitur ex duabus præcedentibus, & ex aliis rationibus contra alias sententias adductis, & iuxta illam existimo declarandum esse Diui Thomæ mentem: cum enim dicit formam panis conuerti in formam corporis Christi, secundum quod dicitur esse corporeum, non oportet intelligi de esse corporeo communissimo: quia reuera non tantum est hic ex vi verborum corpus vt sic (quod alii nobis obiciunt, ac si id diceremus) sed est corpus vt tale aliquo modo, scilicet, vt organicum, & præterea non vt organicum in communi, sed tali organizatione, scilicet, humana: quia hic est ex vi verborum corpus humanum: ergo etiam est hic ex vi verborum forma substantialis: non est forma corporeitatis præcise: quia vt sic, abstrahit ab organica vel non organica, neque vt est forma organica præcise: quia vt sic, abstrahit ab humana, vel non humana: erit ergo forma corporis organici humani vt sic, quæ ex vi sui conceptus præscindit ab anima & forma cadaveris humani, vtraque enim requirit aliquam organizationem propriam & accommodatam corpori humano. Duplex enim in hoc corpore intelligitur organizatio. Vna perfecta & connaturalis: altera imperfecta, & in via corruptionis: vt constat ex Aristot. 1. de Gener. text. 37. & inter vtramque concipi potest propria conuenientia, non tantum ratione accidentium, sed etiam ratione formæ substantialis, quæ, si indiuisibilis sit, vt est anima, est (vt ita dicam) eminenter heterogenea: si autem est diuisibilis, vt forma cadaveris, erit formaliter heterogenea, constans ex partibus aliquo modo diuersis, iuxta diuersum temperamentum, quod in diuersis partibus materiæ requirit: sic igitur corpus humanum, propriis membris constans, potest concipi vt abstrahens quidem à viuo & mortuo, non tamen vt commune cuiusque corpori, sed solum vt humano: ergo, vt sic, includit formam corporis, non quamcunque, sed talem, quæ habeat formaliter vel eminenter humanam organizationem, seu illam in membris corporis requirat. Et ideo, vt in superioribus dicebamus: forma cinerum, etiam in eadem numero materia recepta non sufficeret ad verificandam formam huius sacramenti: si enim Corpus Christi per impossibile in cineres fuisset redactum, non cõstitueretur in sacramento sub illa dispositione, neque illius presentia ad verborum veritatem satis fuisset. Quamquam illa forma etiam esset forma dans esse corporeum. Et idem argumentum fieri potest de

Secunda conclusio, Anima, vt anima est, non est hic definita ac determinate ex vi verborum. Hæc conclusio videtur certior, quam præcedens: nam Concilium Tridentinum sessio. 13. capit. 3. dicitur docet, animam esse sub vtraque specie per concomitantiam. Et satis concluditur illa ratione, quia corpus Christi non est hic viuum ex vi verborum: tum, quia alias etiam sanguis esset in hostia ex vi verborum: quia corpus viuum includit sanguinem, vt partem sui: consequens autem est contra Concilium Tridentinum etiam, quia in forma nulla fit mentio viui, aut mortui, sed corporis, quod vt sic, ab vtroque statu præscindit. Neque illa particula (meum) aut tota forma prolata à Christo viuentem, determinat significationem ad corpus viuum: sed solum ad corpus proprium, de quo tanquam de vno & eodem ipsemet homo viuens loqui potest, præscindendo ab illius vita aut morte. Nam, sicut Christus dixit, Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur, potuisse addere, sepelietur & resurget sicut Pl. 19. dicitur in persona Christi. Caro mea requiescet in spe. Et ita SS. loquuntur de hoc sacramento, dicentes, illud corpus esse in Eucharistia, quod natum est ex Virgine, pepēdit in Cruce, iacuit in sepulchro, & gloriosum resurrexit: Amb. 4. de sacramento. capit. 4. & 6. Augustinus citatus à Beda, 1. ad Corinth. Paschasius, & alii: corpus ergo illud, quod Christus appellauit suum, indifferens est ad mortuum, & viuum: solumque dicit proprium corpus humanum. Tandem hoc conuenit illa ratio de consecratione facta in triduo virtute horum verborum. Euasiones enim supra datæ probabiles non sunt. Prima namque in superioribus reiecta est: ostendimus etenim tunc reuera potuisse corpus consecrari: & hic addi potest, quod de illo corpore iacente in sepulchro verissime dicitur, hoc est corpus Christi, & anima Christi spiritualiter, vel sensibilibiter per aliquod corpus loquens, vere dicere potest: Hoc est corpus meum, signando idē corpus, quod iacebat in sepulchro: ergo eadem ratione potuisset tunc Sacerdos vere dicere in persona Christi super panē, hoc est corpus meum: intendendo illi cõuertere in illud corpus, quod vere dici poterat corpus Christi. Et idem etiam est manifestum in sanguine: nam sanguis effusus vere proprie dicitur, sanguis Christi, & ab ipso vere vocaretur sanguis meus. Quod si de sanguine admittitur, tunc potuisse consecrari separatim à corpore, non potest vlla verisimilitudine negari de corpore à sanguine separato. Altera vero responsio, quod tunc fieret corpus Christi viuum, & non tale quale erat, in propria specie,

formis elementorum, & aliis similibus; necessario ergo illud esse corporeum determinandum est ad esse humanum, iuxta modum explicatum. Atque hinc satis patet ultima conclusionis pars: formam scilicet, quae hic est ex vi verborum, secundum propriam quidem rationem praescindere à ratione animae: quia potest saluari in forma cadaueris: & è conuersio: tamen in re semper esse, aut animam, aut formam cadaueris: quia corpus proprie humanum tantum potest altera ex his formis constare: quod magis declarabitur, soluendo argumenta aliarum opinionum, ubi expediemus difficultatē hinc emergentem, scilicet quomodo verba attingant effectum huiusmodi formae.

*Ad argumē-  
ta primae opi-  
nionis respon-  
sio.*

Ad primum igitur argumentum pro prima opinione, negatur, solam materiam sufficere ad propriam significationem, & veritatem verborum consecrationis: quia, ut dictum est, sola materia non est corpus, nisi includat formam, saltem sub aliquo gradu seu consideratione: itaque ita etiam à multis explicatur definitio animae, quod ad hunc locum non spectat. Ad secundum respondetur, concedendo, corpus suum designasse Christum sub ratione partis, non tamen inde sit, designasse solam materiam: sed ut includit formam, praescindendo à ratione animae, ut anima est. Dico autem significari hoc modo Corpus Christi per modum partis: quia in re, sola materia est vna pars physica, & tota forma est altera; quae vna realiter & indiuisibiliter, & constituit corpus, & tale corpus: à nobis tamen praescinditur, & significatur, ac si essent in re forma distincta: & ideo ita nunc significamus corpus per modum partis, ac si vere forma corporeitatis esset distincta ab anima, ut Scotus putauit; hic autem modus significandi sufficit ad proprietatem illius locutionis, Hoc est corpus meum. Ad tertium iam dictum est, in triduo non fuisse materiam corpus Christi sine forma, & ex hypothesi constat etiam ex dictis, illam conditionalem esse falsam: videlicet, si ita tunc existeret materia Christi sine forma, de illa sufficienter verificari verba formae. Quo circa, posita illa hypothesi, idē dicendum esset, quod supra dicebamus de eo casu, in quo corpus Christi in cineres esset redactum: quod scilicet, talis suppositio repugnat institutioni, quae simpliciter facta est ex certa praesuppositione: quod verum ac primum Christi Corpus non erat defuturum in rerum natura, & sub propria specie existens: unde, cum illa suppositio sit impossibilis in sensu composito, in eodem possunt ex ea contradictoria inferri, scilicet, & quod fieret consecratio propter institutionem, & quod non fieret, quia non est in rerum natura verum Christi corpus. Vel, si quis velit simpliciter admittere, quod tunc fieret consecratio ex sola materia, consequenter diceret, futuram nunc fuisse imperfectam & mutilam, qualis esset, si fingeretur corpus Christi carens brachio, aut simili parte.

*Dubium pri-  
mum circa  
quartum ar-  
gumentum  
primae opinio-  
nis.*

Quartum argumentum petit nonnulla dubia. Primum est, an efficiencia verborum attingat formam substantialem, quae de facto ponitur in hoc sacramento; duplex enim excogitari potest modus dicendi. Primus est, verba attingere, & efficere solam materiam: Deum autem suppleri inefficiam verborum, introducendo formam. Probatur, quia verba non possunt efficere formam secundum propriam speciem rationem eius: alioqui anima, ut anima, esset ex vi, & efficacia verborum: ergo nullo modo possunt illam efficere. Dices ex Diuo Thoma supra, formam panis conuerti in animam; ut forma corporis est, non ut anima est: & ita etiam verba per suam virtutem & actionem attingere animam sub vna ratione, & non sub alia. Sed hoc non videtur posse intelligi: tum quia forma in se & physice supra indiuisibiliter est eadem, nec gradus ille genericus distinguitur in re ab specifico: ergo non potest intelligi, actionem realem & physicam, qua-

lis est actio verborum, attingere vnum & non aliud: tum etiam propter rationem in argumento factam, quia actiones terminantur ad res singulares, prout in re ipsa existunt: in re autem non existit ratio generica, nisi media specifica. Confirmatur primo hic modus dicendi, quia alia; quae hic sunt per concomitantiam, vel non sunt speciali actione, ut diuinitas; vel si indigent speciali actione, sit à Deo, & non à verbis, ut infra dicitur: ergo idem dicendum est in praesente de anima, ut anima. Confirmatur secundo: nam, si in triduo consecratus esset panis, ibi fuisset corpus sine anima: si autem ille panis consecratus usque ad diem resurrectionis conferuaretur, inciperet esse anima sub illis speciebus, ut est communis doctrina D. Thom. infra quaest. 81. & Doctorum in 4. distinctione 10. ubi Scotus quaestione quarta. Capreolus quaestione 2. articulo 3. Gabr. lect. 42. in Can. tunc autem non inciperet esse anima per actionem verborum, quae iam non essent: ergo per actionem Dei: ergo idem nunc dici potest. Nihilominus alter dicendi modus verior mihi videtur: scilicet eam formam Corporis Christi, quae in sacramento ponitur, ibi fieri, seu adduci ex efficacia verborum, à quibus fit vna completa actio conuersiua; quae complete terminatur ad Corpus Christi constans ex materia & tali forma: ita tenet Capreolus supra ad argumenta Aureoli; & Scoti contra primam conclud. & idem videntur sentire reliqui Thomista; Caietanus praecedente quaestione, articulo quinto & sexto, Hispanensis in quarto distinctione decima, quaestione 1. articulo 5. ad secundum Aureoli & Scoti; & Soto quaest. 1. articulo 1. ad 1. Et probatur conuerti rationem prioris sententiae: nam hic est forma substantialis ex vi verborum, ut ostensum est: ergo fit in sacramento per efficaciam & actionem verborum: quia verba sacramentorum efficiunt, quod significant; quod autem est in sacramento ex vi verborum, est ex propria significatione verborum: ergo ex efficacia, & actione eorum: sed non potest actio terminari ad formam sub ratione communi, & non sub specifica: ergo terminatur ad totam formam physicam, prout in re est. Secundo, quia verba perficiunt totam transubstantiationem actione sua: sed transubstantiatio non terminatur ad materiam solam: neque ad compositum sub gradu generico tantum, sed ad corpus Christi, prout in re ipsa constituitur sub speciebus panis: quia actiones physicae terminantur ad res ipsas singulares, & physicas, prout in se existunt: praeterim actio transubstantiatiua, quae postulat, ut sit à tota substantia in totam substantiam. Quocirca ad rem intelligendam, & soluendum contrarium fundamentum, oportet distinguere, ex D. Thoma infra, quaestione 81. articulo 2. ad tertium, aliud esse poni in sacramento aliquid ex vi verborum, aliud vero poni per efficiamiam verborum: hoc enim latius patet, quam illud: nam ex vi verborum solum dicitur esse illud, quod praecise necessarium est ad veritatem verborum: per efficiamiam autem est omne illud, quod à parte rei identice coniunctum est cum veritate verborum, seu cum eo, quod ad illa est necessarium: Christus enim dedit virtutem verbis ad perficiendam veritatem, quam significant, & consequenter ad efficiendam omnem id, sine quo res significata fieri non potest: quia ergo verba solum significant corpus ratione quadam de se indifferente, ille eo sub ea ratione tantum dicitur esse in sacramento ex vi verborum; tamen quia in re fieri non potest, nisi secundum rationem specificam, ideo virtus actiua verborum ad illam etiam extenditur, prout in re fuerit necessarium non ex parte significationis verborum, sed ex parte ipsius termini. Ad fundamentum ergo prioris modi negatur assumptum: & ad probationem negatur sequela: quia, ut dictum est, aliquid est ex actione verborum, quod non est ex vi verborum; quia non est absolute necessarium ad ver-

*Scotus  
Capreolus  
Gabriel*

*Solentia  
de act.*

*Dub. 2.*

*Solentia*

*Dub. 3.*

ad veritatem eorum, sed solum ex suppositione, quod Christi corpus in propria specie taliter existit. Et ad hunc modum exponendum censeo D. Thomam: cum dicit, conuertere formam panis in animam, ut non animam, sed ut formam corporis: scilicet, quantum est ex necessitate verborum secundum se, non secundum id, quod ex parte rei est necessarium. Vnde ad primam confirmationem respondetur, non oportere omnia, quæ sunt hic per concomitantiam, heri eodem modo: & quicquid de aliis sit, tamen, quando id, quod dicitur esse per concomitantiam, in re non distinguitur ab eo, quod ex vi verborum, necesse est etiam heri per actionem verborum. Ad secundam confirmationem respondetur, in eo casu, animam poni sub speciebus panis diuina virtute, tamen ratione verborum præcedentium quæ tunc non effecerunt animam: quia, quoad hoc, fuerunt quasi impedita, quia anima non erat in Corpore Christi in propria specie: vix autem verborum ex institutione limitata est ad agendum talem formam, qualem Corpus Christi habuerit in propria specie: inde autem non recte inferitur, nunc verba non habere virtutem ad efficiendam animam: sed potius contrarium potest inde inferri. Sicut dici solet de effectu sacramenti, qui datur, recedente fictione: quod non fit tunc ab ipso sacramento, quia iam non existit: datur tamen ratione illius, quia ipsum per se erat causaturum talem effectum, si subiectum non esset impeditum.

Secundo petitur in dicto argumento, quomodo forma secundum gradum abstractum & communem possit esse hic ex vi verborum: aut quomodo actio verborum determinetur ad talem formam in specie & individuo efficiendam, cum significatio practica & actio physica debeant versari circa singularia. Respondetur, virtutem verborum consideratam veluti in actu primo, & potentialiter (vt sic dicam) habere quasi pro adæquato subiecto corpus humanum: id est, constans ex materia & forma sufficiente ad constituendum corpus humanum: & secundum hanc adæquatam habitudinem considerandam esse formam, quæ hic dicitur esse ex vi verborum: & hoc modo nullum est inconueniens, virtutem verborum terminari ad aliquid abstractum & commune: nam hoc in omnibus fere potentiis & virtutibus reperitur: præsertim in his, quæ sunt indifferentes ad plures effectus, vel obiecta inadæquata, quæ comprehenduntur sub aliqua ratione communi & abstracta, quæ dicitur esse adæquata tali virtuti vel præsentia. At vero in actu secundo semper actio verborum determinatur ad agendam hæc vel illam formam in particulari, sicut alia virtutes vniuersales in particulari semper efficiunt hunc actum aut effectum: Hæc autem determinatio in præsentem sumenda est ex statu, seu forma, quam in propria specie habet Corpus Christi: & radicaliter eruitur ex institutione, per quam data est virtus verbis ad tale corpus efficiendum, quæ in re ipsa extiterit: proxime vero sumi poterit ex intentione operantis, quæ debet esse institutionis conformis, & semper talis est sub aliqua saltem ratione vniuersali, quamuis interdum ex errore priuato alia esse videatur.

Tertio petitur in eodem argumento, an corpus, quod per hæc verba sub sacramento constitui potest, semper sit idem numero, vel etiam specie: nam ex his, quæ diximus, consequi videtur, non semper esse idem numero, neque specie: quia non semper eadem specifica forma constituitur: vnde vltimus fit consequens, transsubstantiationem, quæ per hæc verba heri potest, non esse semper eiusdem rationis ex parte termini ad quem: nam in triduo haberet terminum specie distinctum ab eo, quem nunc habet: erit ergo transsubstantiatio diuersa, sicut esset

transsubstantiatio facta in lignum, vel aurum: & sicur est diuersa creatio equi, & leonis ex parte terminorum, quamuis in modo conueniant. Respondetur ex prædictis authoribus præsertim Capreolo, & Hispano. <sup>Solutio. Capreol. Hispano.</sup> Solenti, esse quidem idem numero corpus, quod sub speciebus panis per actionem verborum constitui potest in quocunque statu eo modo, quo est idem numero Corpus Christi mortuum & viuum: est autem huiusmodi corpus idem ex parte suppositi, materia & quantitatis: non autem ex parte formæ, vt latius dixi in superiori tomo: hoc autem sufficit, vt humano modo de illo loquamur, tanquam de eodem numero: quamuis in rigore physico reuera non sit idem numero compositum ex parte formæ. Atque eodem modo concedendum est, Corpus CHRISTI in triduo, & viuum, & specie differre ex parte formæ, & consequenter transsubstantiationem in vtroque statu factam ex parte termini, ad quem conuerio terminatur, esse diuersam: neque ex hoc sequitur vllum inconueniens, quia cum hac distinctione saluatur veritas verborum in vtroque statu, vt declaratum est.

Et ex his patet etiam responsio ad argumenta tertia opinionis. Ad primum enim iam declarauimus, quomodo, licet Christus viuens illa verba protulerit: Hoc est corpus meum: non propterea in particulari locutus fuerit de suo corpore viuo, vt sic: quia verba quæ protulit, ex præcisâ sua significatione indifferencia sunt ad corpus viuum & mortuum indicandū, & vtrumque potuit Christus appellare suum vt explicuimus. Vnde patet etiam responsio ad secundum: non est enim necesse, propriam æquiuocationem in hac forma admittere: quia, licet oculus, caro, &c. secundum proprias & specificas rationes æquiuoce talia dicantur in corpore viuo & mortuo, quo sensu locutus est Arist. 2. de anima, & Diu. Tho. 1. p. qu. 76. artic. 8. nihilominus tamen in vtroque corpore, vt constat ex tali materia, & forma, quæ sufficit ad rationem corporis humani vt sic, potest intelligi aliqua ratio communis, sub qua fit vniuersa significatio huius vocis. Ad tertium vero, ex c. In quadam, de Cel. Miss. respondetur, ibi non dici animam vt sic esse de veritate, aut necessitate corporis humani vt sic neque corpus Christi esse humanum, quia anima informatur: sed potius è contratio, animam non fuisse viuificaturam illud corpus, nisi esset humanum: Christumque esse verum hominem, quia anima & humano corpore constat.

Secundo, ex prædictis facile est definire, quid dicendum sit de forma substantiali sanguinis, quæ per verba consecrationis constituitur sub speciebus vini: nam eodem modo & proportionem explicandam est. Si enim verum est, sanguinem informari anima, distingui suo modo potest sanguis veluti viuens à mortuo, qui dici potest veluti cadauer sanguinis: quos necesse est secundum proprias rationes specificas differre: conueniunt tamen sub communi ratione sanguinis humani: vterque enim absolute, & simpliciter sanguis humanus dicitur. Sic igitur ex vi verborum erit hic substantialis forma constitutiva sanguinis humani vt sic: tamen in particulari semper erit, aut anima, aut forma sanguinis effusi iuxta statum, quem sanguis ipse in propria specie habuerit, sicut dictum est de corpore. Supponendo aut, sanguinem non informari anima, duobus modis procedi potest: Primo, sustinendo, sanguinem, quâdiu verus sanguis est, semper retinere eandem specie formam, siue in corpore, siue extra corpus sit. Vnde fit consequens, illam formam poni in hoc sacramento ex vi verborum: quia illa determinate est iuxta hanc opinionem de ratione sanguinis, quæ verba significant. Alter modus, & fortasse probabilior, est, sanguinem, quâdiu non informatur anima, nihilominus distinctam formam habere, quando est intra corpus viuicris in sua

Ad argumta tertia opinionis responsio

Arist. D. Thomæ

in sua naturali dispositione, & postquam est effusus: præsertim post aliquam moram, & post immutatâ naturalem dispositionem, quam in corpore viuentis habet: & iuxta hanc sententiam eodem modo philosophandum est, ac si sanguis informaretur anima: quia est omnino eadem proportio. Atque hinc facile soluitur obiectio, quæ hic fieri posset: scilicet, quod si ex vi verborum tantum est forma substantialis, vt dat esse corporeum, non esset alia forma ex vi verborum sub speciebus vini, quam sub speciebus panis: quia sub vtrisque est forma, vt dat esse corporeum. Respondetur autem negando sequelam: quia, vt diximus, non est hoc intelligendum de forma, vt dante esse corporeum in communi, sed in ratione corporis humani, vel sanguinis humani: hæc autem forma, etiam sub hac præcisa ratione non est eiusdem rationis in corpore & in sanguine: & ideo non sequitur, eandem formam ex vi vtrorumque verborum sub vtraque specie.

Tertio iuxta principia posita expediri facile potest dubitatio facta in superioribus, scilicet, per quâ actionem ponatur sanguis sub speciebus panis: & corpus sub speciebus vini: an scilicet, per actionem conuertiuam, quæ ipsis verbis fit, vel per aliam, quâ Deus coniungat cum actione verborum. Dicendum est enim: sicut sanguis est in re ipsa substantia distincta à corpore, quamuis habeat rationem partis respectu totius viuentis, ita necessariam esse distinctam actionem, saltem partialem, per quem sanguis fiat sub speciebus panis, & corpus sub speciebus vini: præsertim, cum non tantum materia, sed etiam forma hæc duo distinguantur. Simpliciter tamen & absolute, sicut corpus viuum hominis vna dicitur substantia constans corpore & sanguine, ita vna est actio totalis & integra, qua totum hoc sub speciebus panis, aut vini constituitur: atque ita probabilius existimo, totum hoc fieri per efficientiam ipsorum verborum, & per actionem transsubstantiuam. Nam, licet ex vi verborum quibus consecratur corpus, absolute loquendo, non sit necessarius sanguis: tamen, quando in re ipsa necessarium est, corpus, quod fit per verba, esse animatum, & viuens, iuxta Christi institutionem, ex eadem habent verba efficaciam ad efficiendum quicquid est de necessitate corporis animati, & viui, iuxta modum explicatum de forma substantiali: qui similiter applicandus est ad efficientiam corporis sub speciebus vini: nam in his omnibus est eadem proportionalis ratio. Legatur Innocent. libr. 4. de Myst. cap. 19. Alensis & Scotus, locis supra citatis, qui videntur alium sequi dicendi modum. Sed quod diximus, videtur probabilius, quamuis non sit tam certum, sicut quod de anima diximus: quia non est inter corpus & sanguinem illa identitas, quæ est inter formam secundum communem vel specificam rationem conceptam: & ita in præsentem concomitantia non est tanta necessitas, sicut in illa. Est autem magna congruentia; quia non repugnat, institutionem factam fuisse illo modo: & alioqui expediebat verba habere illam virtutem & efficaciam, vt simpliciter possent terminum sumi, prout in re ipsa necessarium esset, sub speciebus sacramentalibus constituitur: & ita potest hoc dici necessarium ad necessitatem verborum, non simpliciter, sed ex suppositione.

Innocent.  
Alens.  
Scotus.

*Dub. alteru* Vltimo expeditur obiter ex dictis aliud dubium quando scilicet panis conuertitur in corpus Christi, & vinum in sanguinem, an materia conuertatur in materiam, & forma in formam, vel simpliciter totum in totum: nam D. Thom. quodlib. 3. articul. 11. ad primum, negat partem essentialem conuerti in partem, sed simpliciter totum in totum: idem Alens. 4. part. quæstione decima, membr. 5. articul. 3. §. 6. late Soto, distinctione nona quæstione 2. articul. 5. circa finem Ledesma, quæstione 16. articulo 4. dubi. 2. & videtur fuisse sententia Innocent. libr. 4. de hoc Myster. cap.

D. Thom.

Alens.  
Soto.  
Ledesm.

8. ratio esse potest: quia vnica actione introducit corpus Christi sub speciebus, & expellitur substantia panis: ergo simpliciter totum conuertitur in totum: neque est vlla specialis ratio; propter quam materia potius dicatur conuerti in materiam, quam in formam, vel e contrario. Nihilominus idem D. Thom. quæstione præcedent. articul. 4. ad tertium, & artic. 6. ad secundum sentit, ita totum conuerti in totum, vt materia conuertatur in materiam, & forma in formam, idem in 4. distinctione 11. quæsti. 1. articul. 1. & Scotus quæstione 3. circa finem, Paludanus quæstione 1. articul. 1. quæstione 3. artic. 2. Capreol. quæsti. v. nica. articul. 3. ad 1. Durandi, contra primam conclus. Richardus articul. 1. quæsti. 2. Marfil. qu. 8. articul. 1. & Rich. Henric. quodlib. 9. quæstione 9. Et videntur fundari solum in quadam debita proportione: quia totum non conuertitur in partem, nec pars in totum: ergo totum in totum, & pars in partem: ergo materia in materiam, & forma in formam. Sed hæc dissensio videtur esse de modo loquendi: nam actio, qua introducit corpus Christi sub speciebus, cum sit accommodata suo termino adæquato, non potest esse omnino simplex, cum terminus ipsa simplex non sit: prout ergo illa actio vna est, qua per se primo fit totum, recte dicitur totum conuerti in totum: quia vero ad integram transsubstantiationem non satis est integram substantiam introduci, nisi etiam integra substantia expellatur, & consequenter materia ei⁹ & forma, si eis constat, vt alterius materia & forma introducatur, & ideo satis etiam accommodate dicitur, materiam conuerti in materiam, & formam in formam: neque in hoc modo locutionis aliquid inconueniens inuenio.

## SECTIO V.

*Vtrum quantitas & accidentia humanitatis Christi sunt in hoc sacramento ex vi verborum, vel per concomitantiam.*

**R**atio dubitandi est, quia ex vi verborum est in hoc sacramento corpus organicum, vt ex Diuino Thomæ, & aliis supra docuimus: sed corpus organicum in suo intrinseco conceptu & ratione includit quantitatem, & alia accidentia: ergo hæc sunt ex vi verborum. Minor probatur, quia corpus organicum in suo conceptu includit membrorum distinctionem in figura, densitate, & raritate, atque adeo in quantitate & magnitudine: quo argumento supra concludebamus contra Durandum, hæc omnia fieri præsentia in hoc sacramento: eadem igitur, seruata proportione, concluditur debere esse ex vi verborum. Confirmatur & explicatur, nam, si Christus dixisset (hoc est corpus quantum meum) sine dubio quantitas hinc haberet ex vi verborum: quia in ipsis verbis expresse contineretur: sed quamuis non ita expresse, implicite saltem idem continetur in illis verbis: quia, quia dicit corpus humanum, & heterogeneum, dicit corpus quantum: imo loquendo familiariter, & iuxta communem vsum, prout Christus locutus est, nomine corporis non intelligunt homines nudam substantiam sed habentem molem, & quantitatem: præsertim, cum addiderit Christus illa verba, Quod pro vobis tradetur: non enim tradi aut pati poterat corpus, nisi quantum.

In hac re Gabr. & Nominales locis citatis in præcedenti sectione, propter difficultatē tactam sentire videntur, hæc accidentia esse ex vi verborum in hoc sacramento. Qui non de omnibus accidentibus, sed de his tantum, quæ videntur esse de ratione corporis, aut sanguinis humani, vt sic, loquuntur. Aliter vero Theo. 28. & sequentibus: licet neget, quantitatem esse hic ex vi verborum: affirmat tamen, modum quantitatis esse ex vi verborum: quia saltem ille modus est de

est de ratione corporis heterogenei, licet non sit quantitas ipsa. Sed difficile est intelligere, quid appellet modum quantitatis: nullus enim modus quantitatis intelligitur, nisi per modum extensionis, aut secundum se, aut in ordine ad locum: sed in presente non potest esse fermo de extensione in ordine ad locum quia hæc, nec ex vi verborum, neque per concomitantiam conuenit corpori, vt in hoc sacramento existenti: neque ex vilo modo de ratione corporis humani seu organici: extensio autem in ordine ad se, est effectus formalis quantitatis, modo in superioribus explicato: ergo repugnat, hunc modum conuenire corpori in sacramento existenti ex vi verborum, & non quantitatem ipsam: quia effectus formalis conuenire non potest, nisi mediante forma. Quod si forte sit fermo de extensione entitativa ipsius materie, illa non est modus quantitatis: neque est accidens aliquod, sed est modus substantialis, seu ipsamet naturalis entitas materialis substantiæ: nisi forte vocetur modus quantitatis, quia à nobis concipitur per habitudinem quandam, seu analogiam, & proportionem ad quantitatem: quæ erit impropria locutio. Non est tamen contendendum de vocibus, quando res constant.

Dicendum est igitur, quantitatem & reliqua accidentia, quæ quantitatem consequuntur, vel disponunt materiam ad hanc formam, esse in hoc sacramento per concomitantiam, & non ex vi verborum. Ita docet S. Thom. hic artic. 4. quem sequuntur ibi omnes Thomistæ, Caietanus, Soto, Ledesma, & communiter Doctores in 4. dist. 10. Et ratio D. Thom. est prima, quia transsubstantiatio, quæ fit virtute verborum, non terminatur ad quantitatem vel alia accidentia, sed ad solam substantiam: ergo non sunt hic accidentia ex vi verborum, sed sola substantia, sunt ergo per concomitantiam: hæc vltima consequentia est per se nota: quia supra ostensum est, hic esse quantitatem & accidentia, & præterea etiam ostensum est, quicquid hic adest, altero ex dictis duobus modis fieri. Primum autem antecedens probatur à Diuo Thoma, ex termino à quo: quia, scilicet, qui conuertitur, est sola substantia panis, & non quantitas: ergo transit per se in substantiam, & non in quantitatem. Deinde optime confirmatur verbis Concilii Trident. sessione 13. capite 4. vbi Sancta Synodus declarat, per consecrationem panis & vini conuersionem fieri totius substantiæ panis in substantiam corporis Christi Domini nostri, & totius substantiæ vini in substantiam sanguinis eius: quæ conuersio proprie transsubstantiatio appellatur. Ex quibus verbis alia etiam ratio desumitur ex natura talis actionis, quæ cum substantialis sit, solum ad substantialem terminum per se terminatur. Prima denique consequentia declaratur, & probatur in hunc modum: diximus enim in superioribus, aliud esse fieri aliquid in sacramento per efficaciam verborum, aliud ex vi significationis verborum: licet autem non omne id, quod in sacramento fit per efficientiam verborum, sit etiam ex vi significationis eorum, tamen è contrario, quicquid est ex vi verborum, necesse est, vt per se fiat ex efficientia verborum: quia potissima & primaria virtus verborum, est ad efficiendum id, quod per se primo significant: ergo quicquid est ex vi verborum, est etiam ex primaria efficientia verborum: ergo è contrario accidentia, quæ hic non sunt ex primaria efficientia verborum, non possunt esse ex vi verborum. Quæ ratio vniuersaliter concludit de omnibus accidentibus: quia transsubstantiatio ad nullum accidens per se terminatur, sed ad solam substantiam.

Sed quæres, quisnam sit hic concomitantia modus, & per quam actionem ponatur hic quantitas, vel quodlibet accidens: Respondetur, non esse in omnibus eandem radicem: & consequenter, neque

eundem concomitantia modum: quantitas enim, & alia accidentia, quæ sunt intrinsece connaturalia huic substantiæ, ponuntur in hoc sacramento, non solum, quia insunt in tali substantia, quatenus in propria specie existit, sed etiam quia quodammodo per se conueniunt huic substantiæ, & intrinsece illam comitantur. Quo fit, vt talia accidentia, quamuis non per se fiant per actionem transsubstantiativam, concomitanter tamen & secundario fieri censentur: quia naturaliter resultant ex primario termino illius actionis, sicut per creationem animæ, dicuntur concreari intellectus, voluntas: vel quantitas per materie creationem. Alia vero sunt accidentia, quæ solum ponuntur per concomitantiam in hoc sacramento, quia realiter inhaerent in eodem corpore, vel anima extra sacramentum, quamuis non sint intrinseca, sed mere contingencia seu accidentia: hæc autem esse possunt duplicia: quædam per efficientiam intrinsecam ipsius animæ Christi, vt sunt actu vitales eius, visio, amor, & cæ. & hæc sunt in hoc sacramento per eandem actionem ab anima Christi, per quam fiunt in celo, alia vero sunt omnino ab extrinseco agente, vt sunt habitus infusi, dotes gloriæ, species intentionales sensuum externorum, & hæc non videntur fieri in hoc sacramento, nisi per specialem Dei actionem: quia hæc concomitantia est magis extrinseca, vt in superioribus declaratum est, præsertim in hac disputatione, sectione secundo & supra disputatione 48. An vero ad hanc ipsam actionem verba instrumentaliter concurrant, incerta res est: nam licet id sit possibile, tamen ex sola institutione non satis colligitur, an ita fiat, de quo iterum redibit fermo sectione sequente.

Ad rationem dubitandi in principio positam, duo dici possunt. Vnum est, duplicem distingui posse organizationem: vnam substantialem, & alteram mere quantitativam, & priorem esse hic ex vi verborum, non autem quantitativam. Substantialis autem organizatio, quæ obscurior est, explicari potest ex parte formæ & ex parte materie: & quidem ex parte formæ, si illa sit diuisibilis & extensa per partes in partibus materie, consistit in hoc, quod non omnes partes talis formæ sunt omnino eiusdem rationis, sed partialiter diuersæ: nam inde prouenit, quod in diuersis partibus materie diuersas dispositiones requirat: si autem forma sit indiuisibilis, vt anima rationalis, solum virtute & emittenter continet huiusmodi organizationem, quæ per ordinem etiam ad dispositiones à nobis explicatur, quatenus diuersas illas requirit in diuersis materie partibus. Ex parte autem materie intelligi aliquo modo potest hæc organizatio, quia maior multitudo materie intelligitur esse in vna parte, quam in alia: quæ diuersitas potest in illa substantia intelligi, etiam præcisa quantitate. Quamuis enim hæc varietas ex natura rei comitetur quantitatem, & quodammodo per illam fiat, nihilominus, si intelligeremus corpus animalis priuari quantitate, & substantiam in reliquis manere immutatam, manerent plures materie in osse, quam in carne: maiorque vnio inter manum & digitum, quam inter digitos inter se: & sic de aliis partibus. Potest etiam hoc explicari iuxta opinionem asserentem, non manere eandem quantitatem in genito & corrupto: sed fieri resolutionem vsque ad materiam primam: tunc enim in instanti generationis materia secundum se, & præcisa omni quantitate, præintelligitur forma, & absolute loquendo, prius natura forma ingreditur materiam, quam quantitas, quæ iuxta hanc opinionem ex forma resultat: materia autem sic præintellecta non est vniformis secundum omnes partes, sed necesse est, vt alium modum præintelligatur habere in vna parte, quam in alia: inde est, vt aliter

Responsio.  
ad rationem  
dubitandæ.

aliter informetur in vna parte, quam in alia: vel si forma est diuinitas, vt aliam partem recipiat vna pars materiae, & aliam alia, & inde etiam si vt varia dispositiones in materiae partibus consequantur, proportionate his, quae immediate praecesserunt. Hic modus dicendi est probabilis, sed in primis est valde obscurus: quia illa diuersitas in sola substantia non satis concipitur, in quo consistat, seclusa quantitate, nisi fortasse in modo praesentiae, quae est valde extrinseca & per accidens. Deinde non videtur omnino satisfacere: quia organizatio debita corpori humano non tantum est illa substantialis, sed etiam accidentalis, vt supra dicebamus contra Durand. Et ideo vltimus addendum est secundo, concedendo quantitatem & accidentia esse de ratione corporis organici, vt organicum est, non tamen esse de substantia illius corporis simpliciter, sed esse proprietatem vel dispositionem debitam tali substantiae, & ideo non oportere, vt hic sint ex vi verborum: quia verba per se ac formaliter solam substantiam significant: sicut illam tantum per se primo efficiunt: quasi concomitantem vero possunt dici significare etiam accidentia quatenus illa sunt necessaria tali corpori, vt esse possit in rerum natura, cum tali esse substantiali. Quapropter, quamuis haec accidentia intrinseca proprie non dicantur hic ad esse ex vi verborum, dici tamen possunt necessitate quadam consequi ex veritate & proprietate talium verborum. Vnde haec concomitantia quodammodo maior est, quam concomitantia animae, vt anima est: quamuis aliunde videatur esse minor: nimirum, quia est minor identitas inter quaeuitatem & substantiam, quam sit inter animam, vt anima, & vt dat esse corporeum. Dico autem, ex alio capite concomitantiam quantitatis videri maiorem, quia non ex suppositione aliqua, sed simpliciter ex intrinseca natura, & necessitate corporis humani, vt sic, & vt quantitas consequitur ad actionem verborum: anima vero, vt anima, non concomitantem ex necessitate simpliciter, sed solum ex suppositione, quod in propria specie tale corpus animatum existat.

## SECTION VI.

*Vtrum Verbum, Diuinitas, aut alie persona sint in Eucharistia ex vi verborum, vel per concomitantiam.*

*Verbum diuino esse specialis modo in Eucharistia, multis probatur.*

*Trident:*

**H**aec quaestio praecipue tractanda est de Verbo diuino. Nam ex illius decisione facile reliqua constabunt. Est ergo in primis certum de fide, esse diuinum Verbum in Eucharistia speciali modo, quod colligitur ex Concilio Tridentino, sessione 13. Canone primo desinente, esse hic corpus esse sanguinem Christi, vna cum anima & diuinitate, non enim potest hic esse diuinitas speciali modo, nisi ratione ipsius Verbi: sicut non est vnita diuinitas humanitati nisi ratione Verbi; tandem de fide est, in Eucharistia esse totum Christum, vt supra ostensum est: sed totus Christus dicit Verbum subsistens in natura diuina & humana: ergo totum hoc praesens est in hoc sacramento. Vnde eodem modo certum est Corpus Christi esse in hoc sacramento vnitum Verbo, seu (quod idem est) esse hic, non tantum substantiam corporis & sanguinis, sed etiam vnionem ipsam hypostaticam quam ad Verbum habet, quod colligit hic Diuus Thomas ex Concilio Ephesino, quadam epistola ad Nestorianos dicente: Nos accipere in Eucharistia carnem Christi non vt commune, neque vt alicuius viri sancti, carnem, sed vt vere viuificatricem, ipsius verbi propriam factam. Est ergo in Eucharistia caro Christi, vt propria Verbi effecta est: sed est facta propria Verbi per vnionem; est ergo in hoc sacramento vt vnita Verbo: ergo est etiam hic ipsa vnio. Item est hic caro CHRISTI, vt viuificatrix: sed est viuificatrix ratione vnionis; ergo est hic vt vnita.

Tandem ratio declarata in articulo primo hoc conuenit: quia caro Christi est realiter, & inseparabiliter vnita Verbo; ergo, sicut nunquam est, nisi vnita: ita etiam nunquam est, nisi vnita: ergo vbicumque est, habet vnionem ad Verbum: fuisse enim non solum indecens & indecorum, verum etiam magnum miraculum & minime necessarium (vt omitram, an sit possibile) vt idem corpus in vno loco esset vnitum Verbo, & in alio careret vnione: & consequenter in proprio supposito existeret: ergo dicendum est, habere hoc corpus in sacramento eandem vnionem ad Verbum, quam habet in caelo. Et propter hanc causam dicitur esse hic verbum speciali modo: quia ad illud terminatur haec vnio: Verbum enim diuinum, cum sit immensum, non potest in se nouam realem praesentiam alicubi acquirere: & ideo non dicitur esse specialiter in sacramento, quia in eo nouum modum existendi sibi intrinsecum, acquirit: ergo sola propter rationem extrinsecam, seu propter nouum titulum, scilicet, quia in hoc sacramento est, vt terminus humanitatis seu corporis, quod in ipso sacramento existit ipsi vnitum: ergo tam Verbum, quam vnio ad Verbum, sunt in hoc sacramento.

Superest explicemus, quomodo hic esse incipiant, & primum de vnione: nam inde facile constabit, quid dicendum sit de Verbo. Primo ergo videri potest, vnionem illam debere hic esse ex vi verborum: quia hoc requirit vis illius verbi: (corpus meum): nam Verbum diuinum est, quod loquitur & dicit: hoc esse corpus suum: non est autem suum, nisi propter vnionem: ergo perinde est ac si dicat, hoc esse corpus sibi vnitum: ergo ex vi talium verborum, necesse est, vt hic sit corpus vnitum: ergo vt sit vnio ipsa. Secundo, corpus proprie significat naturam corpoream subsistentem, supponit autem pro subsistente in natura corporea: ergo ex vi verborum est hic corpus subsistens, & non subsistentia propria: ergo subsistentia Verbi, nisi mediante vnione: ergo oportet, vt etiam vnio sit hic ex vi verborum. Tertio, ex parte termini a quo, non solum conuertitur ex vi verborum natura substantialis panis, sed etiam subsistentia panis: ergo etiam ex parte termini ad quem, non solum est hic aliqua natura, sed etiam aliquid subsistens: nam terminus ad quem, proportionaliter respondet termino a quo, & ipsamet ratio totalis transsubstantiationis, & perfecta substantialis actionis, requirit in completo termino ad quem, subsistentem vtriusque. Ac denique, vis etiam fieri potest in illa particula (hoc) nam, & infra dicitur, designat id, quod sub his accidentibus continetur: vnde ex vi sua substantiae sumitur, & aliquid sub his accidentibus subsistens designat: ergo ex vi illius necesse est, vt sit hic corpus Christi subsistens: ergo vnitum ad subsistendum in verbo diuino, quia non est subsistens propria subsistentia. Et ad hoc confirmandum etiam possent induci verba Concilij Ephesini supra citata, & rationes ex illis desumptae.

In contrarium autem videtur, non posse huius vnionem esse ex vi verborum, sed tantum per concomitantiam; Primo quidem quia, si vnio esset ex vi verborum, etiam Verbum esset ex vi verborum: consequens est falsum: ergo & illud, ex quo sequitur. Sequela videtur euidentis: tum quia vnio non potest esse sine termino vnionis: vbi ergo vnio est ex vi verborum, etiam terminus eius, qui est Verbum: tum etiam, quia si vnio hic est, solum est, quia est nexus inter corpus & Verbum: ex quibus resultat hoc mirabiliter compositum ex hac natura corporea & Verbo: ergo hoc compositum erit hic per se primo, ex vi verborum. Nam hic est terminus adaequatus illius actionis, per quam fit vnio: ergo vtrumque componentium erit hic ex vi verborum: ergo Verbum erit ex vi verborum. Falsitas autem consequentis ostendi potest: primo ex Con-

ex Concilio Tridentino, sessione decima tertia, cap. tertio. ubi inter ea, quae sunt per concomitantiam in hoc sacramento, videtur ponere diuinitatem: neque est, quod aliquis vim faciat in diuinitatis voce, quae naturam, non suppositum, significat, ac si Concilium sentiat, naturam diuinam esse hic per concomitantiam, non tamen Verbum ipsum: nam hoc videtur esse praeferentem Concilij, sed sub diuinitate comprehendit Verbum, quod idem est cum illa; tum, quia nullam aliam mentionem Verbi facit, cum tamen ibi numeret omnia substantialia, quae sunt in CHRISTO, & inde concludat, totum CHRISTVM esse in hoc Sacramento: ergo necesse est, vt suppositum diuinum sub diuinitate includat: alioquin non sufficienter omnia numerasset, nec integram doctrinam tradidisset: tum, quia aliis dicturum erat, diuinitatem esse hic concomitantem, ratione Verbi: non autem reddit hanc rationem, sed, propter admirabilem (inquit) illam eius cum corpore & anima hypostaticam vnionem: qua ratio propria est Verbi, ad quod per se terminatur illa vnio: quin potius in praedictis verbis indicat Concilium, ipsam vnionem esse hic per concomitantiam. Secundo constat falsitas eiusdem consequentis ex communi sententia Doctorum, asserentium Verbum esse hic tantum per concomitantiam, vt patet ex Diuo Thoma hic articulo primo, ad primum, & Innocentio libro quarto, de hoc Mysterio, cap. 19. Marfilio in 4. quaestione octaua, articulo secundo. Durando distinct. decima, quaestione secunda, & alijs Doctoribus communiter ibi, & distinctione vnde decima. Tertio, quia Verbum diuinum non potest esse terminus per se actionis verborum sacramentalium, seu conuersionis: ergo non potest hic poni ex vi verborum. Antecedens patet, quia nihil potest in diuinitatem conuerti: & consequenter neq. in Verbum diuinum, quod est ipsa diuinitas, & aequè immutabile: consequentia verò probatur: quia, vt supra ostensum est, quicquid est ex vi verborum, est etiam ex actione verborum. Dicit aliquis, satis esse conuersionem terminari formaliter ad naturam corporis, vt vnitam Verbo: ita vt sicut intelligimus materiam panis conuerti in materiam corporis, & formam in animam, vt dantem esse corporeum, ita intelligamus, substantiam panis conuerti in vnionem corporis ad Verbum, non verò est necesse, ipsum Verbum fieri per talem actionem: sicut per actionem, qua generatur homo, fit vnio formae ad materiam, cum tamen per illam actionem non fiat materia. Hoc autem videtur satis, vt dicatur, Verbum hic esse ex vi verborum: quia Verbum esse hic, vt dixi, non est acquirere nouam praesentiam, vel aliquid intrinsecum sibi: sed est acquirere nouam rationem existendi hic, quae in ipso, vt est hic, solum addit relationem rationis & denominationem extrinsecam terminantis humanitatem: hanc autem denominationem acquirit ex vi verborum, si verba vi sua ponunt hic corpus vnium: hoc ergo erit satis, vt Verbum dicatur hic esse ex vi verborum. Sed contra, quia, licet Verbum non acquirat de nouo praesentiam realem in hoc Sacramento, illa tamen praesentia simpliciter necessaria est, vt Verbum verè sit in hoc Sacramento; verba autem non possunt ex vi sua hanc praesentiam efficere: ergo non possunt, simpliciter loquendo, virtute sua ponere hic diuinum Verbum.

In hac re, quamuis rationes in vtramque partem factae non conuincant, simpliciter dicendum censeo primo, vnionem corporis CHRISTI ad Verbum non poni in hoc Sacramento ex vi verborum, sed per concomitantiam. Ratio est, non quia sit impossibile, illam vnionem fieri ex vi verborum, seu per actionem verborum, vt multi existimant; nam, si Christus per haec verba voluisset consecrare: Hoc est corpus Verbo Dei vnium, aut per haec: Hoc est Christus Franc. Suarez. Tom. 3.

flus, aut per alia similia, ex vi talium verborum esset in Sacramento, non solum corpus, vel humanitas, sed etiam vnio corporis vel humanitatis ad Verbum, seu totus CHRISTVS, hoc enim formaliter verba significarent, & consequenter idem efficere per actionem suam: neque enim repugnat actionem diuini instrumenti attingere hanc vnionem, vt latius dixi in primo tomo huius tertiae partis. Ratio ergo solum est, quia verba, quibus de facto CHRISTVS consecrauit, formaliter non significant vnionem ad Verbum: nam, licet fingamus, corpus in sacramento non habere vnionem ad Verbum, verè posset CHRISTVS de illo dicere: Hoc est corpus meum: quia illud relatiuum (meum) in rigore solum denotat identitatem illius corporis cum corpore, quod ratione vnus est corpus Verbi: non vero denotat, corpus illud habere talem vnionem, vbi cumque existit: neque hoc requiritur in rigore ad veritatem talium verborum: ergo, si ita fit, vt verè sit, est solum propter concomitantiam supra explicatam.

Secundo consequenter dicendum est cum Theologis supra citatis, Verbum diuinum esse hic per concomitantiam, non ex vi verborum. Haec conclusio non est etiam ita probanda, ac si oppositum repugnet, vt ratio superius facta in contrarium procedere videtur, quae propterea mihi non placet: nam in praedictis casibus, si Christus consecraisset his verbis: Ego sum hoc, vel, Hoc est Christus: ex vi talium verborum id, quod demonstraretur sub speciebus, esset Deus homo, ergo ex vi talium verborum esset Verbum sub speciebus sacramentalibus. Neq. ad hoc esset necessarium, vt realis praesentia de nouo fieret in verbo, sed solum, quod Verbum nouo modo ibi esse inciperet per praesentiam corporis, seu humanitatis sibi vnire, sicut in instanti Incarnationis coepit Verbum nouo modo esse in vtero Virginis, & nunc etiam dicitur Verbum per concomitantiam existeri sub speciebus sacramentalibus: non quia nouam praesentiam accipiat, et per concomitantiam: sed solum per nouam rationem existendi, quae in illo solum addit denominationem quandam, vt rectè supra dicebatur: posset autem hoc ipsum, quod nunc est per concomitantiam, esse ex vi aliquorum verborum, vt ostensum est: ergo ad hoc non est necessarium, vt ipsa realis praesentia Verbi de nouo fiat. Et ratio à priori est, quia, licet haec praesentia reuera sit necessaria, tamen ex se supponitur ex naturali immensitate Verbi: & ideo non oportet, quod verba vi sua illam efficiant, sed solum quod addant quicquid ex parte corporis, vel humanitatis deest. Aliter ergo probanda est haec conclusio ex praecedente: nam verba non possunt ex vi sua efficere, vt Verbum incipiat nouo modo esse sub speciebus ex parte ipsius Verbi: debent ergo id efficere ex parte humanitatis: constat autem, ex parte humanitatis, id non efficere, quia non efficiunt vnionem, vt ostensum est: quia proxima ratio, ob quam Verbum dici potest hic esse nouo modo, est ipsa vnio: ergo nullo modo verba hoc efficiunt ex vi sua: ergo solum per concomitantiam. Et confirmatur, quia ex vi formalis & praecise significationis verborum, non est necesse, vt id, quod est sub accidentibus panis, sit Deus: quia verba hoc non significant: ergo non est ibi diuina persona ex vi verborum.

Ad primam autem rationem pro priori opinione iam satis dictum est. Ad secundam autem, & tertiam duobus modis responderi potest. Prior est, corpus, quod sub speciebus panis ponitur ex vi verborum, non esse substantiam, vt ea voce significatur, sed tantum esse partem quandam substantialem naturae subsistentis: corpus enim pars est humanitatis: verè enim dicitur humanitas ex corpore & anima componi: & tamen humanitas, vt sic, non includit

Hhh sube-

Verbum diuinum est substantia, licet in hoc sacramento tantum per concomitantiam.

Responso ad argumenta prioris opinionis.

substantiam. & anima etiam, licet in re subsistat, tamen ut significatur hac voce (anima) non significatur ut subsistens, sed tantum ut pars. Vnde, si per possibile vel impossibile, corpus & anima Christi dimitterentur à Verbo, & sine noua substantia conseruarentur, nihilominus essent verum Corpus, & anima: ergo in significato corporis, ut sic, non includitur substantia: ergo ex vi verborum formæ nulla substantia, nec propria, neque aliena, ponitur in hoc sacramento. Et quamuis concedamus, in re ipsa nunquam esse posse naturam corporis sine aliqua substantia, non inde fit, substantiam formaliter significari, aut fieri ex vi verborum, sed solum necessario comitari veritatem & efficientiam eorum. Et confirmatur, quia corpus CHRISTI vere & proprie dicitur conceptum ex Virgine, quamuis non habuerit substantiam ex vi illius actionis, per quam conceptum est, sed per aliam, qua vnium est Verbo, que in eodem instanti simul fuit cum altera: & similiter anima Verbi creata dicitur in primo instanti per actionem creatiuam, & tamen per illam non fuit subsistens, nec vnita Verbo: sic ergo, quamuis per actionem transubstantiatiuam, quæ sit virtute verborum, fiat hic corpus Christi, non est necesse, ut ex vi illius fiat, subsistens, sed per aliam actionem concomitantem. Hæc responsio est probabilis, præsertim in forma consecrationis panis: quia vox (corpus) admittit illam significationem partis essentialis, præcendendo à substantia. Sed nihilominus adhuc ingerit difficultatem aliud argumentum sumptum ex particula (hoc) quæ licet possit dici demonstrare hoc ens, vel hoc contentum, tamen reuera demonstrat illud per modum subsistentis: indicat enim hunc cibum, seu hoc edulium, quod subsistens est, & ut tale demonstratur. Deinde in forma calicis sanguis reuera videtur significare rem subsistentem: sicut vinum, aqua, & alia huiusmodi. Quocirca, persistendo in hac responsione, non esset negandum per has formas significari res subsistentes, sed dicendum esset, non significari formaliter substantiam earum sed substantiam, seu substantialem naturam, sicut homo, licet significet rem subsistentem, non tamen significat de formali substantiam, seu humanitatem subsistentem. Et hoc satis est, ut actio verborum non terminetur formaliter, & per se ad substantiam, sed solum ad substantiam corporis, ex qua consequitur substantia naturalis, vel eam comitatur vnio ad diuinam substantiam. Alter dicendi modus esse posset: concedendo, ex vi verborum fieri hic corpus subsistens, non tamen substantia Verbi aut connaturali corpori: sed præcisè: quia licet in re semper debeat esse subsistens, altero ex prædictis modis, tamen neuter eorum est determinate necessarius ex vi verborum, nam idem numero corpus potest subsistere, & substantia creata, & increata, sicut supra dicebamus de forma corporis ut sic: quod licet sub hac præcisione sit hic ex vi verborum, nihilominus, ut anima est, est tantum per concomitantiam: sic ergo dici poterit de substantia: scilicet, quod licet sub hac præcisione ratione ex vi verborum requiratur, nihilominus substantia diuina, ut talis est, solum fit hic per comitantiam: sicut Beata Virgo, concipiendo hunc hominem, necessario concepit rem subsistentem: quod vero hac substantia subsistat, scilicet, diuina, fuit quasi concomitans & non ex vi Virgineæ conceptionis. Atque hæc responsio est etiam probabilis, & facile defendi potest, quamuis non inuenio aliquem Theologorum hoc asserentem in substantia, sicut in anima.

*Declaratur per quam actionem ponatur Verbum & vnio hypostatica.*

Ex his autem duobus respondendi modis colligere licet, per quam actionem ponatur sub speciebus sacramentalibus vnio corporis, vel sanguinis ad Verbum, & consequenter Verbum ipsum: hæc

enim duo in præsentem idem sunt: nam Verbum solum ratione vnionis dicitur hic nouo modo existere. Necessè est igitur, vnionem hic fieri per actionem diuersam ab illa actione, qua hic fit substantia Corporis vel sanguinis: quia, sicut actio creatiuæ animæ, seu humanitatis, secundum substantiam supponitur actioni vnitiuæ: quia substantia ipsa supponitur vnioni, ita actio conuertiuæ, quæ est ad substantiam corporis & sanguinis, distincta est ab actione, qua fit vnio eorum in sacramento: nam etiam hic substantia supponitur vnioni: & non necessario ex illa resultat; & ideo necessaria est actio specialis, qua hæc fiat, seu ponatur: siue talis actio sit eadem cum actione, qua Deus conseruat hanc vnionem humanitatis in celo iterum posita in sacramento, siue fit alia distincta, quod ad præsentem questionem nihil refert, & incertum est. Acque eodem modo est incertum, an hæc actio, qua fit vnio in sacramento, sit hic per efficientiam verborum, an non: vtrumque enim est possibile, & neutrum colligi potest ex principiis certis. Quamuis iuxta priorem modum respondendi supra positum probabile sit, fieri à solo Deo: quia est per metram concomitantiam valde extrinsecam: iuxta posteriorem autem modum videtur probabile satis, debere fieri per verba: quia est magis intrinseca concomitantia, & saltem secundum communem rationem necessaria ad perfectam verborum veritatem, quod explicandum est ad modum supra dictum de forma substantiali.

Secundo, potest obiter ex dictis expediri dubium, quod attigit Innocentius dicto libro de hoc myster. cap. 19. an per communicationem idioma- tum possit dici panis transubstantiari in Verbum: vel CHRISTVS consecrari, sicut dicitur manducari, vel in altari offerri: non enim offertur Christus, nisi quatenus consecratur: per consecrationem enim offertur, si autem Christus offertur, & consecratur, etiam Verbum: nam, quod de Christo dicitur, per communicationem idiomatum, dici potest etiam de Deo. Vnde in oblatione cruenta, quæ facta est in cruce, sicut oblatusest Christus, ita & Deus, & Verbum, ergo similiter in hac inuena: nam ex parte rei oblata non est minus digna & infinita, quam illa; sicut ergo ibi Deus mortuus est, ita hic est consecratus, & manducatus: sic Cyrillus libro quarto in Ioann. capite 18. & libro 11. capite 23. dicit, in Eucharistia nos suscipere filium Dei, & Theodoretus dialogo 2. citans Ignatium: & explicans Canonem vndecimum Concilij Ephesini, dicit nos suscipere carnem Verbi, seu potius carnem Verbum. Et eodem fere modo loquitur Theophylactus, Ioannis sexto, & Hilarius libro octauo, de Trinitate. Et hinc vltterius sequi videtur, concedendum esse, panem transubstantiari in Verbum: quia consecrari dicitur aliquid, aut tanquam terminus à quo: & hoc modo non dicitur de Christo, nec de Verbo, sed de pane, aut vino: aut tanquam terminus ad quem: ergo non potest, nisi hoc modo dici de Verbo, ergo si Verbum consecratur, est terminus, in quem tranfit panis. In contrarium vero est, quia per hanc actionem transubstantiatiuam reuera non fit Verbum, nec talis actio vilo modo terminatur in ipsum: non ergo potest proprie panis dici conuerti in Verbum. Item panis solum dicitur conuerti in id, quod hic fit ex vi verborum: sed Verbum non fit hic ex vi Verborum: ergo. Præterea, ratione partis proprie & in rigore non est communicatio idioma- tum: & ideo non dicitur Verbum esse caput, aut sanguis: sed hic corpus significatur per modum partis, ut dictum est: ergo. Tandem licet anima Christi fuerit creata, & in eodem instanti assumpta, non tamen dicitur Verbum creati, vel quia anima est pars, vel quia illa crea-

creatio non attingit vnionem, sed ad illam præsupponitur: ergo similiter in præfente. In hoc dubio Marfilus in quarto quæstione octaua, articulo secundo, cenfer illas locutiones non esse admittendas: ego tamen nullum inconueniens in eis reperi: sed videntur à Patribus vsitatæ, & consentaneæ principijs positis in materia de Incarnatione: sicut enim Deus dicitur conceptus ex Virgine, quia corpus, seu humanitas, eodem instanti, quo ex Virgine procreata fuerant, assumpta sunt à Verbo diuino, quamquam actione distincta: ita dici potest Verbum in hoc Sacramento consecrari: quia caro CHRISTI, quæ hic consecratur, non terminat actionem verborum, vt in se subsistens, sed in Verbo: nam in eodem instanti, in quo incipit esse sub speciebus, incipit esse vnita Verbo. Patet consequentia à paritate rationis, quia vtraque est actio substantialis, quæ per se tendit ad rem subsistentem; & ideo illam proprie denominat: præsertim, quia nihil includit repugnans Verbo diuino secundum se, sicut creatio, eo vel maxime, quod licet ex vi verborum non significetur totus CHRISTVS, tamen de facto semper totus CHRISTVS constituitur sub speciebus per actionem verborum: & ideo recte dicitur consecrari: quia hoc nihil aliud est, quam per actionem verborum in sacramento constitui: quod autem de Christo simpliciter dicitur, potest etiam dici de Verbo. Atque hoc, certius & notius est de illis denominationibus, quæ supponunt consecrationem iam factam, vt sunt manducari, moueri, &c.

Tertio ex dictis constat, quid sit dicendum de diuinitate, prout significat proprie naturam diuinam ratione distinctam à Verbo. Dicendum est enim, esse speciali modo in hoc Sacramento; vt est certum ex definitione Concilij Tridentini dicentis, diuinitatem hic esse, ratione admirabilis vnionis inter ipsam, & humanitatem. Nam, licet dixerimus, sub diuinitate Verbum comprehendere, non excludenda est, neque excludi potest ipsa natura, quæ proprijsime diuinitatis voce significatur. Et ex ipsa sumitur clara ratio: quia Verbum diuinum intime, & essentialiter includit diuinitatem. Item, quia Christus dicit subsistere in duplici natura, diuina, & humana. Item, quia licet per vnionem hypostaticam proxime diuina natura vnita sit substantiæ diuinæ: hinc tamen simul ac necessario effectum est, vt duæ naturæ vnite sint in vna subsistentia verbi: non ergo potest hic esse totus CHRISTVS, & Verbum, ratione vnionis, quin fit etiam ipsa diuinitas. Vnde etiam concluditur, non esse hic ex vi verborum, sed per concomitantiam mediatam secundum rationem; ad eum modum, quo vnio hypostatica dicitur terminata immediate ad subsistentiam relatiuam, & consequenter ad naturam absolutam: sic enim concomitantia, quæ in hac vnione fundatur, proxime & immediate est respectu Verbi, consequenter vero, respectu diuinæ naturæ.

Quarto & vltimo constat ex dictis, quid dicendum sit de Patre & Spiritu sancto; an, scilicet, speciali titulo & ratione definat in hoc Sacramento: hoc enim dubium expediendum est ex alio principio posito in primo tomo, tractatu de Incarnatione, videlicet, quamuis vnio hypostatica nullo modo terminata sit ad Patrem, vel Spiritum sanctum, nihilominus, ratione illius effectum esse, vt Pater, & Spiritus sanctus speciali modo sint in Christi humanitate, vel quia in ea singulariter operantur, vel quia necessario ibi adsunt, vbi adest diuinitas: cum ergo præfente concomitantia tota fundetur in hypostatica vnione, prædicto modo & ratione extendi potest ad has personas, & nulla alia via. Vnde nec verba habent vllam vim, vt speciali modo hic eas constituent, nec per sacramentales species significantur, nec ab actionibus sacramentalibus denominantur: non enim Pater offertur, Franc. Suarez. Tom. 3.

aut Spiritus sanctus manducatur, quia hæ personæ non sunt vnite humanitati per modum suppositi, licet propter naturalem connexionem, quam habent cum persona Verbi, mediante diuina natura, necessario sint vbi est illa, non tamen terminando eandem vnionem, in qua prædictæ denominationes fundantur. Quocirca, licet Pater, & Spiritus sanctus ob rationem superius factam dici possint esse hic per concomitantiam, aliter tamen, quam Verbum & Diuinitas, nam Verbum est immediate tanquam proprium suppositum humanitatis; Diuinitas vero secundum rationem quidem mediate, secundum rem autem immediate; quia est idem cum verbo, & in illo vere est humanitati vnita, Pater autem & Spiritus sanctus omnino mediate, etiam secundum rem, realiter enim distinguuntur à Verbo, & ideo cum humanitate non habent vnionem realem, sed solum intimam præsentiam, ratione iam dicta.

ARTICVLVS III.

Vtrum sit totus Christus sub qualibet parte specierum panis vel vini.

**A**d tertium sic proceditur. Videtur, quod non sit totus CHRISTVS sub qualibet parte specierum panis vel vini. Species enim ille diuidi possunt in infinitum. Si ergo Christus totus est sub qualibet parte specierum prædictarum, sequeretur quod infinitus esset in hoc sacramento, quod est inconueniens; nam infinitum repugnat non solum naturæ, corp. suo, sed etiam gratia.

2. Præterea, Corpus CHRISTI cum sit organicum, habet partes determinate distantes: est enim de ratione organici corporis determinata distantia singularum partium ab invicem, sicut oculi ab oculo, & oculi ab aure. Sed hoc non posset esse, si sub qualibet parte specierum esset totus Christus: oporteret enim, quod sub qualibet parte esset qualibet pars, & ita vbi esset vna pars, esset & alia. Non ergo potest esse, quod totus Christus sit sub qualibet parte hostiæ, vel vini contenti in calice.

3. Præterea, Corpus Christi semper veram retinet corporis naturam, nec vnquam mutatur in spiritum. Sed de ratione corporis est, vt sit quantitas positionem habens, vt patet in prædicamentis. Sed ad rationem huius quantitatis pertinet quod diuersæ partes in diuersis partibus loci existant. Non ergo potest esse (vt videtur) quod totus Christus sit sub qualibet parte specierum.

Sed contra est, quod August. dicit in quodam sermone; Refertur de Singulis accipiunt Christum Dominum, & in singulis portionibus totus est, nec per singulas minuitur, sed integrum se præbet in singulis.

Respondeo dicendum, quod, sicut ex supra dictis patet, quia in hoc sacramento non substantia corporis CHRISTI est ex vi sacramenti, quantitas autem dimensua ex vi realis concomitantia, ideo corpus CHRISTI est in hoc sacramento per modum substantiæ, id est, per modum, quo substantia est sub dimensionibus; non autem per modum dimensionum, id est, non per modum illum, quo quantitas dimensua alicuius corporis est sub quantitate dimensua loci. Manifestum est autem, quod natura substantiæ tota est sub qualibet parte dimensionum, sub quibus continetur, sicut sub qualibet parte aeris est tota natura aeris, & sub qualibet parte panis est tota natura panis. Et hoc indifferenter, siue sint dimensiones actu diuise (sicut cum aer diuiditur, vel panis secatur) vel etiam si sint actu indiuisa, diuisibiles vero potentia. Et ideo manifestum est, quod totus CHRISTVS est sub qualibet parte specierum panis, etiam hostia integra manente, & non solum cum frangitur, sicut quidam dicunt, ponentes exemplum de imagine, quæ apparet in speculo, quæ apparet vna in speculo integro, in speculo autem fracto, apparet singula in singulis.